

MAGIN. GEOGR.

Magin · Geogr.

GEOGRAPHIAE
VNIVERSAE

TVM VETERIS TVM NOVAE ABSOLVTISSIMVM OPVS
DVOBVS VOLVMINIBVS DISTINCTVM,

In quorum priore habentur

CL. PTOLEMAEI PELVSIENSIS
Geographicæ enarrationis Libri octo:

Quorum primus, qui præcepta ipsius facultatis omnia complectitur, commentarijs vberrimis illustratus est à

IO. ANTONIO MAGINO PATAVINO.

In secundo volumine insunt

CL. PTOLEMÆI antiquæ orbis tabulæ XXVII. ad priscas historias intelligendas summè necessariç. Et tabulç XXXVII. recentiores, quibus vniuersi orbis pictura, ac facies, singularumq; eius partium, regionum, ac prouinciarum ob oculos patet nostro sæculo congruens.

Vnà cum ipsarum tabularum copiosissimis expositionibus, quibus singulæ orbis partes, prouinciæ, regiones, imperia, regna, ducatus, & alia dominia, pro ut nostro tempore se habent, exactè describuntur.

Auctore eodem IO. ANT. MAGINO PATAVINO Mathematicarum in Almo Bononiensi Gymnasio publico professore.

CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS, CIↃ. IↃ. XCVI.
Apud Hæredes Simonis Galignani de Karera.

SERENISS.

VINCENTIO GONZAGAE

MANTVAE DVCI, &ç.

OMMODVM absolueram superioribus mensibus Serenifs. Dux hanc meam lucubrationem longo sex annorum spatio tandem perductam ad vmbilicos, in Ptolemæi scilicet Geographiam, & recentiores tabulas (in quas vberrimam omnium orbis prouinciarum descriptionem conieci, necnon omnia; vt nostra hac tempestate vigent; simul collegi, & quasi per transennam præteriens explicaui, quæ digna doctorum auribus visa sunt, multis simul nominibus recentioribus pro-

uinciarum, ciuitatum, fluminum, montium, & aliarum rerum cum veteribus comparatis) cum mihi nuntiatum eſt te incolumem, & gloria etiam onuſtum ex Pannonica profectione reuerſum eſſe, ſtatimque mihi venit in mentem tibi hac occaſione de felici reditu gratulari, & ſub tuo Sereniſs. nomine librum diuulgare, ſed impreſſorum negligentia, ac culpa effecit, vt id ſerius poſſem præſtare, à quo tamen inſtituto ac conſilio non me deterruit ſera gratulatio, cum reprehenſione carere doctorum iudicio iudicetur, ſi culpa vacet; cum alia maior etiam cauſa accederet, vt ſcilicet, meam in te obſeruantiam, ac inductionem, animumque tibi tuis in me tot tantiſque promeritis, ac liberalitate deuinctiſſimum exploratius etiam declararem, cuius ope adiutus, re ſuſtentatus alacriori mente operam meam ſtudioſorum commodis addixi, nec prodeſſe illis deſtiti, his artibus illuſtrandis quantum in me eſt, quas profiteor, vt id omne acceptum tuæ referant benignitati, quæ hac etiam ratione vniuerſorum hominum proſpicit commoditati, ac beneficio, dum qui præclaris artibus inuigilant homines, eos tua munificentia vel alis, ac ſuſtentas, vel ſaltem foues, ac faues, vt literarum monumentis præclara dogmata mandantes bene de humano genere,

genere, & potiſſimum ſtudioſorum mereri poſſint, quo facto nulla gloria præſtantior, nulla prouincia illuſtrior exiſtimari debet, neque vero iniucundum tibi fore munus noſtrum ſum ratus, cum & res per ſe ipſa ſit Principe magno digna, qui enim natus eſt Imperijs, Prouinciarum quoque ſitum debet intelligere, quibus dominari aliquando vel poſſit, vel ſperet, aut cogitet, & cupiat, (debet autem præclarus quiſque Imperator exercitus, ac rei militaris bene ſciens Princeps omnibus cogitare, ac cupere, cum fieri poſſit, vt omnibus poſſit, vel exemplo Alexandri qui non vni mundo tantum, ſed pluribus ſi extitiſſent imperare ſibi propoſuerat) & ſit iucundum, iuxta Homeri præceptum, & Vlyſſis exemplum, non tam vt ille foris errando, quam domi intra parietes legendo multorum hominum mores vidiſſe, & vrbes perluſtraſſe, ad quod accedit tuorum ſtudiorum ratio, cum enim mathematicis delecteris (vt omnibus etiam artibus Principe digniſs.) hæc non aliena ab illis mihi viſa cognitio, imo coniunctiſſima, poſtremo accedat tui ipſius amoris vinculum, qui cum me in tuorum iam numerum receperis, tuiſque auxeris, ac ornaueris beneficijs, opus hoc non veluti peregrinum, ſed quaſi tuæ liberalitatis germen excipies, ac amplectere.

quod vt facias, te etiam atque etiam rogo, meque tibi totum cum meis omnibus ſtudijs do, dico, ac trado. Vale.

Datum Bonon. Kal. Aprilis, 1596.

Ser. tuæ addictiſſimus

Io. Antonius Maginus.

IO. ANTONIVS MAGINVS ad Geographiæ ſtudioſos

PRAEFATIO.

GEOGRAPHIAE cognitionis vtilitas, & neceſſitas conſpectior, ac euidentior eſt, quàm vt demonſtrationem requirat: ſine hac enim in congreſſibus publicis, in dicendis rebus ſerijs, & grauibus gerendis, quæ ſalutem & incolumitatem generis humani complectuntur, imperfecta eſſet hominum vita, & rebus politicis & vniuerſim actionibus totius vitæ publicè & priuatim inſtituendis ac regendis parum accommodata. omitto autem referre, quantum ipſa facultas cæteris diſciplinis & artibus lucis & commoditatis ferat, quantumque omni hominum ſtatui ſit affinis, cum id plenè in primi huius libri commentario præſtiterimus: hoc vnum tantum dicam, nihil præſtantius, aut iucundius, aut delectabilius, aut vtilius, quinetiam magis neceſsarium homini videri poſſe quàm cognitionem huius terreni mundi, quem ſummus Deus nobis inhabitandum in primis conceſſit, ſi non perfectam ac abſolutam, ſaltem talem, tantamque, quanta politico homini ſufficere poteſt, adipiſci. Vnde non magis verum videri debet ſapientiſſimum illud dictum: Noſce te ipſum, quàm hoc, Noſce quæ

circa

circa te sunt; si quidem turpe est ea ignorare, quorum cognitio ad vitam probè ducendam summè necessaria est, nimirum regionum & prouinciarum fines; urbium, oppidorum, fluuiorum, fontium, lacuum, nemorum, montium, vallium, insularum, scopulorum, promontoriorum mari imminentium situs, magnitudines, & positiones: marium motus, amplitudines, ac profunditates: portus commodos, incommodosuè: sinuum flexuras, & alia eiusmodi multa. Deinde etiam quænam sit variarum terræ partium qualitas, cœli temperies, terræ nascentium diuersitas, hominum mores, ritus ac leges, & alia multa. Cæterum præcipuè à Principibus viris Geographica hæc facultas amplexanda, ac prosequenda est cum magis ea indigeant, quàm reliquorum hominum cœtus: sed non minus Geographia ipsa flagitat Principum ipsorum patrocinium, auxiliumque, vt augeri, perfici, ac conseruari possit, quibus sanè harum facultatum, quę publico vsui totius generis humani seruiunt, cura diuinitus præcepta, & commendata est, ipsi enim vix ullo alio beneficio præclarius mereri de genere humano poterunt, quàm si incumbant, vt opera & industria artificum integra atque absoluta terræ descriptio singulis ætatibus posteritati tradatur, quæ quidem priuatorum hominum sumptibus præstari nequeunt. Neque enim sufficit, si semel vniuersi orbis descriptio fuerit absoluta, nam ea quidem vni ætati tantum probè, non autem perpetuò deseruiet: certum enim est, insignes variationes in terræ partibus continuò euenire propter bellorum incursiones: aquarum inundationes: marium præruptiones ac recessus; imperiorum, regnorum, & dominiorum instabilitates. Etenim non solum regiones, vrbes, oppida, flumina, & alia huiusmodi sua nomina pro tempore mutant amissis prorsus prioribus; verum etiam & fines ipsarum regionum variantur, & vrbes, oppidaque

daque senectute delentur, bellorum calamitate euertuntur, aliaque de nouo conduntur, & mare vno in loco continentem terræ dilatat, in alio coarctat, & flumina quandoque augescunt, quandoque minuuntur, quandoque cursus variant, quandoque etiam prorsus deficiunt. Sic quoque fontes, stagna, paludes alibi exiccantur, alibi verò procreantur, vt nihil certè humana conditione labilius iudicari possit. Alia itaque est terræ vniuersæ, ac regionum singularum pictura & facies huius sæculi quàm fuerit Ptolemæi & antiquorum ætate. Unde non minus necessaria Geographica descriptio terræ hodierna videri debet pro præsentibus temporibus, quàm sint Geographicæ Ptolemæi tabulæ pro præteritis. Quis enim historias priscas perfectè intelliget absque antiquarum tabularum inspectione; imo penitus certitudo & lux historiarum ex Geographicis Ptolemæi tabulis hauriri nequit, cum non omnibus antiquorum ætatibus congruant: non enim omnes vrbes, oppida, montes, fluuij ac populi, quæ à diuersorum temporum scriptoribus memorantur deprehendi in eis possunt, vt fidem præ cæteris præstare posset ASCANIVS SFORCIA Cardinalis amplissimus, ac Princeps perhumanus, omnique virtutum genere ornatissimus, qui sanè optimam ac certissimam methodum sequutus, hanc Geographicam facultatem cum antiquorum historiographorum assidua lectione coniunxit non sine continua Ptolemæi tabularum inspectione. Unde in antiquorum historiarum cognitione, & priscorum Geographorum Ptolemæi præsertim & Strabonis descriptione adeò versatus est, vt quemuis huius ætatis in hisce facultatibus peritum non adæquet solum, sed etiam longè superet. Apud quem dum præterita æstate commoratus essem, vt fundamenta Geographiæ ex Geometriæ, Arithmeticæ, & Astronomiæ fontibus à nobis intelligeret, atque in alijs quoque Mathematicis

maticis disciplinis instrueretur, huic Geographico volumini extremam imposui manum, præcipuè autem tunc temporis in primum Geographicæ enarrationis Ptolemæi librum hunc integrum conscripsi commentarium, quem sanè ampliorem exhibuissem, si angustia temporis, & librorum meorum penuria non pressus fuissem tunc. Quantum autem laboris & in hoc commentario elaborando, & in regionibus ac prouincijs ex diuersis probatissimis auctoribus describendis toto hoc elapso sexennio sustulerim, facilè iudicabunt sanæ mentis viri, qui hæc mea cum aliorum consimilibus scriptis contulerint: tametsi non ignorem quædam animaduersionibus, & correctioni obnoxia esse. Nam & si in veritatis diligentiori inuestigatione assiduo quis laboret, nulla tamen diligentia satis esse potest ad obtinendum huius facultatis apicem. Fateor præterea me moderniora ex toto veteribus adaptare, atque veterum recentiorumque nominum conciliationem exhibere nequiuisse. Quod nec alij hactenus fecerunt ob iniuriam temporum, ac insuperabiles in hoc negocio difficultates. Et qui in Ptolemæi commentarijs ante nos copiosius hoc præstiterunt, certè ij audacter nimis, ac solis nixi fallacibus coniecturis id egerunt, vt mirum non sit, si frequentissimè à vero aberrent. Neque hoc etiam prætereundum puto, scilicet tabulas hasce nostro consilio celatas non fuisse, sed bibliopolam potius ipsum quorundam persuasione eas sextodecimo ab hinc anno elegisse, ac suis expensis incidendas curauisse, qui postea à nobis instantissimè quæsiuit, vt nostras vigilias & labores prædictis tabulis adiungeremus: non enim ignoramus potuisse quasdam illarum perfectiores ad hoc negocium eligi, vt taceam etiam correctiores, & locupletiores esse antiquas Ptolemæi tabulas à Mercatore editas; nihilominus speramus hasce tabulas ob eorum commodam formam, & elegantiam à studiosis libenter

benter amplexum iri. Addidissem præterea ego his tabulis alias multas recentes particularium quarundam regionum cuiusque orbis partis, nisi celator varijs in rebus occupatus in plures annos hoc opus prolongasset. Quamobrem studiosos & bibliopolæ & mihi parsuros confido, si illis hoc opus, omni ex parte absolutum modo non præstamus, facturi hoc tempore forsan opportuniore, & quantum ad me attinet hoc vnum studui, vt meæ regionum descriptiones aliorum etiam locupletissimis tabulis inseruire possent; nam dum eas conscripsi & Ortelij, & Mercatoris, & aliorum castigatissimas & copiosissimas tabulas præ manibus semper habebam. Quinimo à me quamprimum studiosi expectent Geographiam ac descriptionem Italiæ absolutissimam, quam nunc ex permultis Italiæ recentissimis tabulis melior ac construo, quæ quidem ad meas manus liberalitate ac ope permultorum amicorum & dominorum meorum peruenerunt, præsertim verò amplissimi Cardinalis SFORCIAE ueri literatorum amatoris & fautoris, Domini mei colendissimi, qui continuo à Principibus Italiæ ad hoc opus absoluendum descriptiones statuum ipsorum mihi impetrare non grauatur. Vtinam verò ipsi Principes huic nostro honesto desiderio non refragarentur: sed liberaliter ac libenter descriptiones & typos suos nobis impartirentur, ne opus esset mihi aliquas ex his descriptionibus aliunde mendicare, & forsan hac causa parum exactè descriptas publicare, vt alij ante nos fecerunt, quos equidem subnixè, & humiliter oro ac precor, sicut etiam alios magnates & studiosos, apud quos aliquæ Italiæ descriptiones particulares reperiuntur, quod eas nobis communicare non dedignentur. Quod si facient, præterquam quod gratum & nobis & vniuersis studiosis animum ostendent, nos quoque eorum nomen & liberalitatem celebrare non prætermittemus. Mihi profecto

cto videtur plus interesse Italiæ Principum & magnatum, vt hæc nobilissima, ac cultissima prouincia castigatissimè & copiosissimè descripta in lucem prodeat, quemadmodum pleræque aliæ Europæ prouinciæ auxilio aliorum principum, & diligentia præstantium Geographorum prodierunt, quàm nostra priuatim degentium, & egentium, qui hæc studia prosequimur, ac ab omnibus ferè negligimur, dum facultates hasce Mathematicas expolimus, ac profitemur nec dignitate speciosas, nec quæstuosas, licet forsan reliquis disciplinis præstantia ac certitudine anteponendæ non immerito essent. Nihilominus nos deesse nolumus pro virili nostra quin omne studium ac diligentiam adhibeamus in hac Italiæ Geographia perficienda & absoluenda, cum proprijs expensis domi teneamus cœlatorem Belgicum diligentissimum, cuius labore hucusque quindecim tabulas in æs egregiè incisas habemus, & ante hoc biennium integrum ipsum volumen, quod prope quinquaginta tabulas complectetur, absolutum vobis communicare speramus. Valete & nobis ad alios labores animum præstate, quod quidem facietis si præsens vniuersalis Geographiæ volumen benignè ac candido animo recipietis.

CL. PTOLEMAEI ALEXANDRINI GEOGRAPHICAE ENARRATIONIS LIBER PRIMVS.

In quo differat Geographia à Chorographia. Caput Primum.

GEOGRAPHIA *imitatio est picturę totius partis terræ cognitæ, cum ijs, quę sibi quasi vniuersaliter sunt annexa. Differt autem à Chorographia, nam illa per partes loca resecat, seorsumque singula, & vnumquodque iuxta se cõstituit, ac ferme omnia etiam minutissima illa, quæ deprehendere possumus describit, veluti portus, vicos, populos, necnon à primoribus fluminibus, diuertigia, & his similia. Geographiæ autem proprium est, vnam & continuam terram cognitam ostendere, quemadmodum se habeat natura & positione, eaque solum in omnino deprehensibilioribus versatur descriptionibus, veluti sinuum, & ciuitatum magnarum, gentium quoque, & fluuiorum, nec non circa ea, quæ secundum speciem vniusquisque sunt insigniora. Porrò finis Chorographicus connexione particulari continetur, veluti si quis aurem tantum, aut oculum imitetur. Geographicus autem contemplatione totius, proportionaliter ijs, qui integrum caput describunt. Etenim omnibus quæ supponuntur præcipue imaginibus, partes necessario atque in primis adaptantur, ac etiam picturas excepturæ sunt, distantijs, sufficienti remotione oculorum commẽsuratæ esse debent, siue perfectum sit quod pingitur, siue particulare, quo cuncta sensibiliter percipi valeant. rationabiliter simul & vtiliter sequutum est, vt Chorographiæ minutissimæ proprietates, Geographiæ autem regiones ipsæ cum ijs, quæ vniuersaliter eis adiacent, attribuantur. Quoniam & primariæ orbis partes, regionum nempe situs, tam magnitudine quàm mensuratione rectè sunt coordinatæ. At inter has ipsas*

ſas vt ſeſe habeant, quamplurimæ ſunt differentiæ. Verſatur autem Chorographia vt plurimum circa quale magis diſponendum, quàm cira quantum: ſiquidem vbique qualitatis curam gerit, at non ita commenſurationis poſitionum. Geographia autem circa quantum magis, quã circa quale: quandoquidem in omnibus diligentem proportionis diſtantiarum rationem habet: ſimilitudinis vero vſque ad maximarum partium circumſcriptiones, & iuxta figuram ipſam tantum. Vnde illa quidem locorum eget pictura, nemoque eam recte exercebit, niſi vir pingendi gnarus: hæc vero nequaquam, nam per lineas etiam tenues ac denotationes tãtum, poſitiones & vniuerſi figurationes oſtendere poteſt. Quapropter illa quidem haud quaquam mathematico indiget inſtituto, hic vero pars ea præcipue requiritur. Conſiderare enim oportet, & totius terræ figuram ac magnitudinem, nec non ſitum eius ad cœlum, quò cognita ipſius pars, quanta ſit, & qualis, recenſeri poſſit, inſuper & loca eius ſingula, ſub quibus cœleſtis ſphæræ ſita ſint parallelis, ex quibus & noctium & dierum magnitudines, & quænam ſtellæ fixæ verticales fiant: & quæ ſuper terram, quaque ſub terra ferantur ſemper: ac omnia quæ de habitationis ratione connectimus, percipi poſſunt. Quæ cuncta ſublimiſſimæ ac pulcherrimæ ſunt ſpeculationis, quum humanis deprehenſionibus, per Mathematicas rationes oſtendi poſſit, quo pacto cœlum ipſum natura ſe habeat, quoniam nobis magna ex parte conſpicuum eſſe poteſt. Terra autem per imaginem, quia licet certa ſit & maxima, non tamen nos circumambit, neque tota ſimul, neque particulatim ab eiſdem hominibus peragrari poteſt.

Quænam ſint ad Geographiam præſupponenda. Cap. II.

QVIS igitur finis ſit eius, qui Geographiam exercerevelit, ac in quo differat à Chorographia, per hæc quaſi ſummatim ſit notatum. Cum vero impræſentiarum ſit propoſitum, noſtræ habitabilis deſcribere orbem, vt quàm maxime cum veritate congruat, neceſſarium arbitramur præmittere, peregrinationis hiſtoriam eſſe, quæ notitiam præſtet ad inſtitutionem talem, vtpote quæ plurimum afferat cognitionis, ex traditione eorum qui præditi ſcientia ſpeculatiua, regiones particulatim peragrarunt: quodque conſideratio ac traditio hæc partim ſit geometrica, partim vero ſuperiorum conſtet obſeruatione. Siquidem ad Geometriam ſpectat, quod per ſubtiles diſtantiarum dimenſiones locorum inter ſeſe poſitiones reddantur manifeſtæ: ad obſeruationem autem ſuperiorum, quod idem fiat per apparentia, ex inſtrumentis, quibus aſtra & vmbræ obſeruantur, quod & perfectius eſt & certius, alterum autem difficilius, ac illius indigens ope. Primum enim quum neceſſarium exiſtat, vt ſupponatur, ſecundum vtrũque modum, ad quamnam mundi poſitionem, duorum locorum inquiſitorum diſtantia vergat, (non enim ſimpliciter, aut ſolum hoc ſcire oportet, quantum locus vnus diſtet ab alio, ſed quonam verſus, hoc eſt, vt dicere ſciamus, num ad ſeptentrionem, aut ortum, ſiue ad partiliores eorum inclinationes tendat) impoſſibile eſt, exacte hoc conſiderare, abſque obſeruatione, quæ per prædicta fit inſtrumenta, per quæ in omni loco ac tempore facile, & lineæ meridianæ poſitio oſtenditur, & per ipſam ignotæ locorum diſtantiæ. Inde & hoc concedi neceſſe eſt, dimenſionem, quæ per numerum fit ſtadiorum, haud-

haudquaquam certam nobis iuxta veritatem præbere deprehenſionem: quoniam raro in vias rectas incidere contingit, propter circuitus varios, qui & euntibus, & nauigantibus occurrere ſolent: & quia neceſſe eſt, ad rectitudinem inueniendam, id, quod in vijs, tam ex qualitatibus, quàm ex quantitatibus redundat, coniecturando tantum, ab integris ſubtrahere ſtadijs. In nauigationibus autem ventorum flatus, qui vt plurimum vires eaſdem haud ſeruant, ad dijudicandum penitus norma carent. Inſuper licet diſtantia quædam inter duo loca emenſa exacte cognita fuerit, non ideo tamen ratio ipſius ad totius terræ ambitum, nec poſitio, vtrũ ad æquinoctialem, ſeu polos tendat, patebit. Dimenſio vero, quæ fit per cœli apparentia, certam de ſingulis his cognitionem affert, oſtenditque qualeſnam circunferentias inuicem per loca ſubiecta deſcripti intercipiant circuli, parallelique, & meridiani: hoc eſt, paralleli circunferentias, quæ incidunt inter ipſos & æquinoctialem, meridianorum: illi autem eas, quæ continentur ab ipſis, & æquinoctialis, & parallelorum: ac etiam qualem circunferentiam duo intercipiant loca, circuli illius, qui in terra maximus ſcribitur. Nihil denique ſtadiorum indiget dinumeratione, ſiue ad rationẽ earum partium, quæ à terra ſunt, ſiue ad deſcriptionis circuitum vniuerſum: ſufficit enim ſupponere ambitum telluris in partes quotquot voluerimus, per totidemque partes oſtendere diſtantias in circulis maximis, ſuper telluris ſuperficie deſcriptis. Sed forſitan ad diuidendum noſtris dimenſionibus totum ambitum, aut partes illius in ſubiecta ac nota interualla hæc minus ſufficient. Ideo huius rei gratia ſolum, neceſſe fuit viam quandam rectam adaptare circunferentiæ, quæ iuxta continentiam ſimilis eſſet maximo circulo, ac rationem huius ſumere ad circulum qui fit ex apparentibus: ſtadiorum vero numerum, qui ſub ipſa continetur, ex dimenſione quæ fit à parte data, ſicque multitudinẽ ſtadiorum totius ambitus demonſtrare. Cum enim ex mathematicis præſupponatur, continuam & terræ, & maris ſuperficiem, quaſi per totas partes eſſe rotundam, & idem centrum habere cum ſphæra cœleſtium: ſequitur etiam ſingulas ipſius inciſiones communes, quæ ex centro in planum, necnon ex dictis emittuntur ſuperficiebus, maximos in ſemetipſis facere circulos, angulosque in ipſo plano ad centrum concluſos, ſimiles circulorum intercipere portiones, diſtantiarum earum, quæ in terra ſunt. Ac ideo quantitatem ſtadiorum, vbi directa fuerint, ex dimenſionibus accipi poſſe: rationem vero quæ ad totum eſt ambitum ex ipſis quidem nullatenus, propter defectum pertingentiæ parabolæ. A ſimili autem circunferentia circuli cœleſtis, recte ſumuntur, quoniam ratio illius ad proprium ambitum deprehendi poteſt, eadem autem fit & à ſimili parte circa terram, ad circulum in ea maximum.

Qualiter à ſtadiorum numero alicuius diſtantiæ rectæ, licet non ſub eodem ſit meridiano, ambitus terreni ſtadiorũ numeri accipiãtur, & e contra. Cap. III.

QVI ante nos fuerunt, non ſolum rectam aliquam diſtantiam in terra inquirebãt, vbi maximi circuli facit circunferentiam, ſed eã quoque, quæ poſitionem in vnius meridiani plano haberet: per Scioteroſque obſeruabant ſigna duo, quæ ſuper verticem erant diſtantiæ, iuxta circunferentiam, quæ ſub ipſis intercipiebatur meridianis, quæ ſimilis eſſet itinere: quumque hæc ſingulatim, vt diximus, in plano conſtituebantur, lineæ rectæ, quæ

per extremitates ad ſigna, quæ ſuper verticem erant, egrediebantur, inter ſe concurrebant, quia centrum circulorum commune erat coincidentiæ ſignum. Quanta igitur apparebat circunferentia, quæ inter ſigna erat verticalia, ac pars eſſet circuli, qui per polos ſcribitur, tantam etiã ſupponebant in terra diſtantiam ambitus totius. Vnde ſi etiam non per polos circulum ſecundum dimenſam ſumpſerimus diſtantiam, ſed à quolibet maximorum, propoſitum oſtendi poteſt. Idem nobis patebit, ſi per inſtrumentum, quo ſublimiora conſiderantur, eleuationes poli in terminis fuerint obſeruatæ, necnon poſitione animaduerſa, quam diſtantia ad alium habet meridianum. Per quod etiam Meteoroſcopium multa alia vtiliſſima facile deprehendere poſſimus. præterea & quolibet die & nocte iuxta obſeruationis locum eleuationem poli Borealis omnique hora ſitum meridionalem, nec non habitudines declinationum ad ipſum, hoc eſt, quales faciat angulos per viam deſcriptus circulus maximus cum meridiano, ad ſignum quod eſt ſuper verticem, per quos ſimiliter quæſitam circunferẽtiam ex ipſo oſtendimus Meteoroſcopio: & eam quoque quæ inter duos intercipitur meridianos, quum alij fuerint quàm æquinoctialis paralleli. Ita vt per talem modum ſi ſolum diſtantia vna recta in terra fuerit dimenſa, totus etiam numerus ſtadiorum, quos ambitus continet, inueniri poſſit. Per hæc inde reliquum, necnon aliorum itinerum interualla, etiam ſine dimenſione cognoſcuntur, licet non penitus fuerint recta, neque ſub eodem meridiano aut parallelo conſtituta, dummodo id quod ad omnem inclinationem proprium eſt, diligenter accipiatur, pariter & terminorum eleuationes obſeruentur. Rurſus etiam per rationem circunferentiæ, quæ diſtantiam extendit ad circulum maximum, ſtadiorum quoque multitudo à deprehenſo totius terræ ambitu facile conſiderari poteſt.

Quòd ea, quæ ex apparentibus obſeruata ſunt, præferri debeant ijs, quæ ex peregrinationis cõperta ſunt hiſtoria. Cap. IIII.

IGITVR, quum hæc ita ſe habeant, ſi ij, qui particulatim regiones peragrarunt, talibus quibuſdã obſeruationibus vſi fuiſſent; certam penitus oris deſcriptionem facere potuiſſent. Verum qui ſolus Hipparchus, nobis paucarum ciuitatum (reſpectu tantæ multitudinis, quam in Geographia deſignare neceſſe eſt) eleuationes poli Borealis tradiderit, easque eidem ſubiectas parallelo. Quidam vero cum illis pariter loca quædam oppoſita, non quæ æqualiter ab æquinoctiali diſtarent, ſed quæ plane ſub eodem eſſent meridiano, ex eo quod mutuæ eorum nauigationes ſecundę ad arctum vel notum tenderent. Diſtantiæ vero quamplurimæ, & præcipuæ illæ, quæ ad ortum vel occaſum vergunt, imperfectiorem aſſequutæ ſunt traditionem: non incuria eorum, qui hiſtorias condiderunt, ſed ideo forſitan, quia conſiderationes Mathematicales nondum exacte erant perceptæ, nec adhuc multæ defectiones Lunares eodem tempore, in locis diuerſis obſeruatæ fuerant. Nam literis mandatum eſt Eclipſim eam, quæ hora quinta in Arbelis accidit, Carthagini apparuiſſe ſecunda. Ex quibus manifeſtum redditur, quot temporibus æquinoctialibus inter ſe loca diſtent, ad ortum vel occaſum. Rationabile quoque erit, & his conſequens, eum qui Geographiam tractare velit, ea loca, quæ per diligentiores obſeruationes deprehenſa ſunt, deſignationi ſuæ tanquã fundamenta quædam præſupponere: quæ vero ab alijs tradita ſunt, his adaptare, quouſque poſitiones eorum

eorum inuicem, cum ijs, quæ prius fuerunt obſeruata tãquam traditionibus certiora, potiſſimum congruant.

Quod hiſtoriis nouiſsimis magis ſit adhærendum, propter mutationes, quæ per tempora accidunt in terra. Cap. V.

IGITVR deſcriptionis aggreſſio, tali forſitan continetur propoſito: verum quum in omnibus locis, quæ non penitus vel propter magnitudinis exceſſum, vel quia non ſemper eodem ſe habeant modo, deprehenſa ſunt, ſemper vnumquodque tempus hiſtoriam tanquam certiorem præferre ſolet: ita etiam in Geographia accidit. Conſtat enim per ipſas temporum traditiones, multas partes continentis terræ, quæ à nobis habitatur, nondum propter difficilem magnitudinis peragrationem ad notitiam peruenißе. Quaſdam vero non tales, ac ſertur eſſe, eorum culpa, qui hiſtorias exceperunt fabuloſiſſimas. Nonnullas autem nunc longe aliter quàm olim habere, vel propter particulares earum deuaſtationes, vel etiam immutationes. Vnde neceſſe eſt, vt ibi nouiſſimis temporis noſtri traditionibus, penitus quaſi adhæreamus, obſeruantes obiter & hiſtoriæ antiquæ expoſitionem, necnon prædictorum diiudicationem, vt liquere poſſit, quid fide dignum, quidve ſit erroneum.

De Geographica Marini enarratione. Cap. VI.

MARINVS itaque Tyrius, nouiſſimus eorũ qui noſtro fuerunt tempore, parti huic ſummo ſtudio incubuiſſe videtur. Patet enim plurimas eum hiſtorias euoluiſſe, vltra eas etiam, quæ prioribus cognitæ fuerant temporibus, ac ſcripta fere omnium qui eum præceſſere, diligentiſſime percepißе. Quoniam ea quæ minus decenter, tam à priſcis illis, quàm à ſemetipſo credita fuerant, decenti primum rectificatione exornauit: quemadmodum ex editionibus ipſius emẽdatioris tabulæ Geographicæ (nam plures ſunt) conſiderare licet. At ſi cerneremus, nihil in vltima ſua deeſſe compoſitione, poſſemusque ex ſolis monumentis illis, orbis deſignationem perficere, nullum vlterius in hac re laborem ſuſciperemus: verum cum manifeſte liqueat, quædam eum cum minus fide digna perceptione collegiſſe, ſæpius præterea in deſcriptionis inſtitutione, nec facilitatis, neque de dimenſionibus debitam curam habuiſſe: iuſte moti ſumus, vt viri huius negocium ſuſceptum, quantum operæprecium arbitramur, ad rationabiliorem, & vtiliorem reduceremus modum. Quod quidem quã ſuccinctius poßumus, facere conabimur, conſiderantes, breuibus nos ea, quæ ad vtranque ſpeciem conferũt, ratione quadam conſequi poſſe. Ac primum quidem ab hiſtoria initiũ faciemus, ſecundum quàm exiſtimat ipſe, & longitudinem terræ cognitæ plus ad orientem, latitudinẽ vero ad meridiem produci oportere. Merito enim vocabimus totius ſuperficiei diſtantiam, ab ortu occaſum vſque longitudinem. eam vero, quæ eſt ab arcto, meridiem verſus, latitudinem. Quoniam & parallelos, iuxta motum cœleſtem, eodem appellabimus nomine. Sed & vniuerſaliter quidem diſtantiæ maiori, recte longitudo eſt attribuenda: ſiquidem planè hoc ab omnibus conceſſum eſt, quòd orbis terrarum diſtantia, ab ortu verſus occaſum, longe maior exiſtit, quàm ea, quæ à Septentrione eſt ad meridiem.

Rectificatio distantiæ latitudinis terræ cognitę, ex apparentibus secundum Marinum. Cap. VII.

PRIMVM igitur latitudinis terminum præsupponit ipse Thylen sub parallelo, qui borealissimam terræ nobis cognitæ partem segregat. Parallelum vero hunc demonstrat ab equinoctiali distare ad summum partibus 63. qualium est circulus meridianus trecentarum sexaginta: stadijs vero milibus triginta, ac insuper mille quingentis, ita, vt pars vna quingenta fermè comprehendat stadia. Deinde Aethiopum regionem, quæ vocatur Agisymba, & Prassum promontorium sub eo ponit parallelo, qui australissimum terræ cognitæ finit terminum, quem etiam sub hyberno ponit tropico: ita vt secundum ipsum, tota orbis latitudo, iuncto tropico hyberno partium fiat octuaginta septem, stadia vero compleat quadraginta, & tria millia quingenta, Quinetiam rationabiliter finem australis demonstrare conatur, per apparentia quædam, vt ipse putat, nec non per itinera, quæ & terra & mari historijs sunt prodita. quæ singula quasi ex transcursu consideranda erunt. Sane in enumeratione apparentium, compositione sua tertia, ita ait.

Zodiacus in zona torrida totus super ipsam apparet, quapropter in ea transmutatur vmbrę, ac omnia astra occidunt, & oriuntur. Sola autem Vrsa minor tota supra terram apparere incipit, in borealioribus Ocele, stadijs quinque milibus quingentis. Parallelus enim per Ocelem partibus eleuatur vndecim ac quinta duplici. Ab Hipparcho autem traditur, minoris Vrsæ stellam borealissimam, vltimam autem caudæ, à polo distare partibus duodecim, quintisque duabus. Porrò ijs, inquit, qui ab æquinoctiali ad æstiuum progrediuntur tropicum, polus borealis semper plus supra horizontem attollitur, australis vero, plus sub horizonte deprimitur. Qui vero ab æquinoctiali ad brumalem pergunt tropicum, ijs polus australis supra horizontem eleuatur, borealis vero sub horizonte mergitur.

Igitur per hæc solum exponit quæ accidere debent locis, quæ sub æquinoctiali sunt, vel inter tropicos posita. At qui, si etiam ita se habeat historia, apparentia tamen in locis, æquinoctiali australioribus, nequaquam apposuit, veluti quænam stellæ super verticem fiant, in locis illis, quæ æquinoctiali sunt australiora, aut quãtum ad austrum declinent vmbræ meridianæ in æquinoctijs, vtrumve Vrsæ minoris stellæ omnes oriantur & occidant: ac rursus quænam ex ipsis penitus non appareant, quum polus australis super horizontem eleuatur. In cæteris inde dicit, quædam obseruata esse apparentia, verum nec illa propositum vllo pacto ostendere possunt.

Ait enim eos, qui ex India in Lymiricem nauigant (quemadmodum narrat Diodorus Samius in tertio) Taurum in medio habere cœlo, Pleiades vero secundum antennas medias. Qui vero ex Arabia in Azaniam feruntur, nauigationem dirigere ad meridiem, & stellam Canobum, quæ ibi Equus vocatur, estque australissima. Cæterum astra quædam apud illos apparent, quæ apud nos ne nominantur quidem.

Canisque Anticane prior oritur, & Orion ante conuersiones æstiuas totus. Ex his igitur stellis apparentibus, quædam manifeste ostendunt, quænam habitationes æquinoctiali sint borealiores, veluti Taurus & Pleias quæ super verticẽ fiũt, nam astra hæc æquinoctiali sunt borealiora, quædam autem nihilo magis borealibus australiores esse demonstrant. Canobus enim apparere potest etiã ijs, qui longe æstiuo tropico sunt septentrionaliores. Multæque stellæ, quæ semper apud nos sub terra sunt, in locis qui nobis sunt australiores, ac etiã ijs qui æquinoctiali sunt borealiores, velut ijs, qui circa Meroem habitant, super terram fiunt. Quemadmodum Canobus ipse, qui nobis borealioribus hic minime apparet. Et hunc quidem meridionaliores, & nullum alium, qui nobis sit incognitus, Equum vocitant. Adijcit & ipse mathematicis rationibus deprehensum esse, Orionem totum ante conuersiones æstiuas apparere, ijs qui sub æquinoctiali habitant. At canis oriri incipit, priusquam Procanis, ijs qui sub æquinoctiali habitant, & ab ipsis Syenem vsque, ita, vt nec horum quoque apparentium peculiare existat, ostendere habitationes aliquas, æquinoctiali esse australiores.

Eadem rectificatio ab emensione itinerum. Cap. VIII.

PROINDE in itinerum emensione, dum per terram singulatim profectionum computat dies, à Lepti magna vsque ad regionem Agisymbam, hanc æquinoctiali australiorem esse stadys viginti quatuor milibus sexcentis octuaginta colligit. Rursusque secundum dies nauigationis per mare, à Ptolemaide, quæ est in Troglodytica, ad Prassum promõtorium, æquinoctiali id australius esse colligit, stadijs viginti & septem milibus octingentis: ita vt & Prassum promontorium, & Agisymbam regionem, quæ Aethiopum est, & quæ, vt ipse dicit, nec dum Aethiopiam ab austro disterminat, ad oppositum eorum producat, qui gelidam inhabitant zonam. Si quidem viginti septem milia & octingenta stadia, constituunt in æquinoctiali partes quinquaginta quinque & tertias quinque, quot & ab altera æquinoctialis parte distant, ac sub similis frigiditatis qualitate, Scythæ degunt, & Sarmatæ, qui septentrionalia Mæotidis incolunt paludis. Contrahit igitur & ipse numerum expositorum stadiorum in summam dimidio minorem, hoc est, in stadia duodecim milia: quot fermè hyemalis tropicus distat ab æquinoctiali. Addit & contractionis huius solummodo diuersiones à vijs rectis, necnon irregularitates itinerum causas esse, omissis potioribus & promptioribus, ex quibus non solum diminutio necessaria videtur, sed etiam vt ad tam paruum redigatur numerum. Primum enim de itinere quo à Garama ad Aethiopiam itur, Septimium Flaccum, ait, qui in Libya militauerat à Garamantibus, ad Aethiopes, quum ad meridiem perrexisset, trium mensium spacio peruenisse: Iulium vero Maternum à Lepti magna, quum Garamantes ex Garama Aethiopes inuasißent, mensibus quatuor ad Agisymbam Aethiopum regionem applicuisse, quum iter semper ad meridiem direxißet, quo in loco Rhinocerotes congregantur. Quæ vtraque etiam per sese incredibilia sunt, tum quia Aethiopes interiores, non tantum à Garamantibus segregantur, vt trimestri distent itinere: Quum iam ipsi potius Aethiopes existant, & eundem quem & illi habeant regem: Tum etiam penitus ridiculum est, incursionem regis contra subditos super vnam distantiam solam factam fuisse, nempe à septentrione ad meridiem: quum gentes illæ, vtrinque & ad ortum & occasum latissime extendantur, ac nullibi eum moras relatu dignas fecisse. Quapropter certum est, viros illos falsa nunciasse, aut sic ad meridiẽ dixisse, quemadmodum indigenę dicere consueuerunt in Austrum, aut in Aphricum pro certiori, quod magis notum est abutentes.

Eadem rectificatio à nauigationibus exactis. Cap. IX.

POSTEA *de nauigatione inter Aromata & Rapta, Diogenem quendam ait, qui in Indiam nauigarat, ac secundo fuerat reuersus, quum prope Aromata, nauigaßet à Septentrione arreptum eße, quũque Troglodyticam à dextra habuisset, diebus viginti quinque ad paludes, ex quibus Nilus fluit applicuisse, quibus Raptorum promontorium paululum est Australius. Theophilum autem quendam ex ijs, qui Azaniam nauigare consueuerunt, à Raptis soluiße, ac Austri flatu, die vigesimo ad Aromata peruenißе. Verum neuter horum, quot dierum nauigatio illa esset, aperuit, sed Theophilus se die vigesimo illuc applicuisse, Diogenes vero diebus 25. Troglodyticam præternauigasse dixit, solum referentes quot diebus nauigassent, minime autem aduertentes, quot dierum nauigatio illa, propter ventorum in tanto tempore irregularitatem & mutationem esset, neque vtrum tota nauigatio illa ad Septentrionem, aut meridiem facta fuisset. Verum Diogenes se tantum Septentrione impulsum eße. Theophilus autem solum austro nauigasse retulit: reliquam autem nauigationem. quòd eundem semper tenorem seruauerit, neuter dixit. Quod enim naues illę tot diebus, eodem fuerint impulsæ vento, haudquaquam est credibile: ac ideo distantiam eam, quàm Diogenes, inter Aromata & paludes, quibus Raptum promontorium australius existit, 25. emensus est diebus. Theophilus à Raptis ad Aromata, longè maiorem 20. diebus exegit. Theophilusque diei ac noctis nauigationem mille esse stadia supposuit cui rei licet ipse astipuletur, ait tamen nauigationem eam, quæ à Raptis ad Prassum promontorium ac multorum est dierum 5000. tantum à Dioscoro stadiorum supponi: quum facile, vt par est, venti sub æquinoctiali mutantur, ac ideo secundum ipsum etiam solis transitus ad obliqua celeriores ponuntur. Ob hæc igitur magis decuisset, vt relatæ dierum multitudini, fidem haud præstitißet. Et ideo etiam, quod omnium manifestissimum est, quod Aethiopes, & Rhinocerotum conuentum ex opposito gelidæ constituit zonæ, quum ratio ipsa dictitet omnia, quæ sub eadem aeris qualitate posita sunt esse similia, siue plantæ sint, seu animalia, imitarique similitudines cœli, quæ sub eisdem sunt parallelis, aut illis qui æqualiter ab vtroque distant polo. Quapropter Marinus, solum vsque ad tropicum hybernum contraxit distantiam, nulla rationabili causa de contractionis quantitate reddita. Quod si quis & dierum numerum & seriem acceptaret peragrationũ, quem admodum ipse fecit, hæcque seruaret quãtitatem solum diurnorum stadiorum præter modum & consuetudinem minueret, antequam terminus ad eum peruenirет parallelum, ad quem ipse venire censet oportere. At qui contrarium potius sequi deberet. Nempe vt possibilitati diurnæ peregrinationis crederetur, tenori autem perpetuo tam iuxta æqualitatem, quàm secundum positionem, minime fides adhiberetur, tanquam impoßibile existat, vt distantia inquisita per hæc accipi valeat, aut illud solum, quod ea maior fiat sub æquinoctiali: verum rectius ab aliquo eorum, quæ manifestius apparent, deprehendi potuisset, tale enim longe fuißet certius, si quis mathematicalius cõsideraßet, quæ regionibus illis accidere solent. Verum cum historia talia prestare nequeat, reliquum est, vt à simplicioribus plenius consideretur rationabile quantitatis vltra æquinoctialem egressionis. At illa per formas & colores animalium, quę in locis illis*

lis sunt, percipi potest. Vnde sequitur, parallelum per Agisybram regionem, quæ sine controuersia Aethiopum est, nequaquam ad hybernum vsque pertingere tropicum, sed citra ęquinoctialem potius terminare, non enim apud nos in oppositis locis, hoc est, sub tropico æstiuo: homines iam Aethiopum colores habent, neque Rhinocerotes sunt, aut elephantes, sed inhaud multum illis australioribus modice existunt nigri. Quemadmodum qui intra Syenem triginta habitant schœnis, qualesque sunt Garamantes, quos Marinus ob hanc causam, nequaquam sub tropico æstiuo, neque eo borealiores, sed prorsus australiores sedes habere, inquit, in locis vero circa Meroem, iam satis colore sunt nigri, & primum Aethiopes meri, ibique elephantum, ac mirabiliorum animalium pascitur genus.

Quod non oporteat Aethiopes supponere meridionaliores, quàm sit parallelus oppositus per Meroem. Cap. X.

QVAPROPTER *bene habet vsque huc, idest, Aethiopes vsque quemadmodũ nobis traditio historię de monstruosis, quę in illis degunt oris explicat, constatque Agisybram regionem, & Prassum promontorium, cum ijs quę eidem subiacent parallelo, describendam esse, sub eo fermè, qui ipsi opponitur per Meroem, hoc est, qui ab ęquinoctiali meridiem versus distat partibus ęqualibus sexdecim ac tertia vna cum duodecima, stadijs vero octo milibus ac ducentis ferè. Ita vt sit tota latitudo exactius colligatur, partes sint nouem & septuaginta, tertia vna cum duodecima, vel integrę octuaginta, stadia vero milia quadraginta. Credendum præterea, distantiam eam, quæ est inter magnam Leptim & Garamam, quemadmodum & Flaccus & Maternus supposuerunt, stadiorum esse quinque milium quadringentorum. Siquidem viginti dies secundi sunt itineris, plus quam primi abbreuiati: tam ad meridiem quam ad Septentriones, quum primum propter diuersiones dierum sit triginta: nam & stadiorum numerum dierum vniuscuiusque, eos qui loca illa peragrarunt, sæpissime annotasse ferunt, non solum quia ita commodum, sed & propter æquationum distantias necessarium fuerit. Proinde quemadmodum de vijs magnis, & raris dubitare oportet, præcipue vbi distantię emensæ haud concordant, ita de non magnis; sed sępius & à multis peragrantibus vnanimiter relatis, credere decet.*

De iis quæ ad longitudinem orbis non recte à Marino sunt excogitata. Cap. XI.

IGITVR *ex his nobis plane factum est perspicuum, quantũ orbis latitudo extendi possit: longitudinem vero Marinus contineri facit sub duobus meridianis, qui interualla horaria disterminant quindecim: nobis vero videtur & ea quoque distantiæ mensuratio plus extendi ad ortum quam oporteat, etenim si hic quoque contractio facta fuerit rationabilis, tota longitudo non integris duodecim interuallis horarijs constabit: quum insulæ Fortunatę occidentalissimo termino constituantur æquales, orientali autem immanissimæ partes Seræ, ac Sinæ, nec non Cattigarę. Porrò in distantia, quę est ab insulis Fortunatis ad Euphratis transitum, per Hieropolim, si parallelus, qui per Rhodum est, obseruetur, quadrabit numerus stadiorum per singula loca ab ipso relatus, nam id ex frequẽti itineris vsu compertum est. Quin etiam si ex maioribus*

ratiocinatum fuerit distantijs, apparebit, eum in rectificatione illius, quod propter diuerticula & profectionum redundabat irregularitates, debitum aßequutum esse. Sed & in hoc quoque recte sentit, partem vnam qualium est circulus maximus trecentorum sexaginta, quingenta in terra constituere stadia, id enim confessis dimensionibus consonum existit. Circunferentiam autem ipsi similem paralleli eius, qui per Rhodum transit, hoc est, qui ab æquinoctiali adest partibus triginta sex, quadringenta ferè comprehendere stadia, nam id quod iuxta consentaneam parallelorum rationem superat, quum in exactiori deprehensione modicum existat, omittendum est. Cæterum distantiam eam, quę à prædicto Euphratis transitu, vsque ad turrim est lapideam, ac per ipsum esse colligitur schœnorum octingentorum septuaginta sex, stadiorum vero viginti & sex millium, necnon ducentorum octuaginta: eam præterea quàm ipse à lapidea turri, vsque ad Seras, quę Serum est metropolis, viæ septimestris, esse, stadiorum autem triginta sex milium & ducentorum asserit: vtranque tanquam sub eodem parallelo, secundum institutum nostrum, in debitam contrahemus rectificationem: Quandoquidem constat, eum in ambobus itineribus nequaquã minuisse id quod propter diuerticula superabundabat: quin in secundo etiam itinere in eosdem incidisse errores, quibus & in itinere à Garamantibus vsque ad regionem Agisymbam, lapsus est. Nam & ibi quoque collectum stadiorum numerum mensium quatuor, & dierum quatuordecim plusquam in dimidiam partem contrahere fuit coactus. Quum incredibile sit, tam longo tempore continuam peregrinationem factam fuisse, vt rationabiliter spacium septem mensium attingere potuißet: & multo magis quàm in itinere à Garamantibus, nam illud à regionis illius Rege, cum prouidentia, vt par erat, & non fortuito peragari potuit, sed & perpetua ibi fuit tranquillitas: via autem quę est à turri lapidea ad Seras vsque, vehementissimis obnoxia est tempestatibus. Nam ex ijs, quæ ipse supponit parallelis, illis per Hellespontum & Byzantium transeunt, subiecta est. Quapropter multas etiam in eundo moras accidere necesse fuit. Nam & per negotiationis occasionem cognita est. Refert enim Marem quendam, qui & Titianus vocabatur, virum Macedonem, ac patre mercatore natum, dimensionem hanc conscripsißе, licet ipse nunquam ad Seras accessisset, sed solum quosdam illac misißet. At qui & ipse Marinus mercatorum historijs nequaquã fidem adhibere videtur. Nam Philemonis relationi, qua longitudinem solæ Hibernię ab ortu occasum vsque viginti dierum esse tradidit, haudquaquam astipulatur, quoniam videbatur hoc à mercatoribus percepisse, quos mercatura occupatos, veritatis indagationẽ haud curare ait: quin sępius distantias arroganti quadam iactatione augere. Proinde de peregrinatione ista mensium septem, nil aliud memoratu dignum, quàm quanta fuerit, ab ijs, qui illam exegerant, relatum esse, monstro simile, ob temporis prolixitatem esse videtur.

Emendatio longitudinis terræ cognitæ à peregrinationibus. Cap. XII.

PROPTER *hæc itaque, & quia iter non sub vno sit parallelo, sed turris lapidea posita sit circa eum, qui per Byzantium, Seræ autem magis australes, sub eo, qui per Hellespontum scribitur, rationabile visum fuisset, & hic quoque multitudinem stadiorum, quę ex septimestri collecta est itinere, triginta sex milium ac ducen-*

ducentorum, minus quam in semissem diminuere. Cęterum in dimidium, tanquam plenioris deprehensionis gratia, tantum contrahuntur, ita, vt exposita distantia esse computetur stadiorum decem & octo milium, ac centum, necnon quartæ vnius, partium vero quadragintaquinque ac quarta vna. Etenim absurdum esset, & satis à ratione alienum, vt quis in vtraque via tantam supponeret diminutionem, ac in illa ab Garamantibus, quia argumenta resisterent hoc est, propter differẽtias animalium, quę per Agisymbam sunt regionem, ac loca naturalia transcendere nequeunt, ipsius sequeretur opinionem: in illa tamen via, quę est à turri lapidea, ea quæ rationi sunt consona acceptare nolet, quoniam ibi nullum tale esset argumentum, ex quo simile quid sequeretur. Sed per totam distantiam, siue ea maior existeret siue minor, similem eßе cœli qualitatem contenderet, ac si quis nequaquam recte per modum philosophiæ peculiarem cõiectare posset, nisi in ijs, quę penitus manifesta essent. Proinde distantia prior, ea inquam, quæ ab Euphrate ad lapideam est turrim, octingentorum septuaginta sex schœnorum, propter viarum diuerticula, ad octingentos schœnos tantum, stadia vero viginti quatuor milia contrahenda est. Credatur enim ei, quod in continuitate illa, & per partes commensuratas, iamque peragratas, veram assequutus sit dimensionem. quod vero diuerticula habeat plurima, ex ijs manifestum est, quę Marinus ipse supponit. Concedatur enim viam, quę ab Euphratis traiectu per Hierapolim est ad Tigrim, & inde per Garameos Assyrię & Mediæ in Ecbatanas, & portas Caspias, per Parthiamque in Hecatonpylum, incidere circa parallelum, qui per Rhodum transit: nam ille secundum ipsum etiam per dictas scribitur regiones. Viam tamen, quę ab Hecatonpylo in Hyrcaniam ciuitatem ducit ad septentrionem declinare necesse est, quum Hyrcania ciuitas, quodammodo in medio posita sit paralleli, qui per Smyrnam, & eius qui per Hellespontum est. Quapropter is qui Smyrnam transit, super ipsam Hyrcanię regionem scribẽdus est, qui vero per Hellespontum, per partes australes maris Hyrcani, quæ parum septentrionaliores sunt, quam eiusdem nominis ciuitas. Rursus via ab hac in Margianam Antiochiam per Ariam, primo quidem ab Aria, quæ sub eodem parallelo sita est, qui per Caspias transit portas, ad meridiem declinat: inde ad Arctos, quum Antiochia illa collocata sit sub parallelo, qui per Hellespontum transit, à qua, via quæ ad Bactra ducit, protenditur ad ortum: quę vero inde sequitur ad ascensum regionis montanæ Comędorum ad septentriones. At illa, quę per montana ipsa est, vsque ad vallem, quę campestria excipit, ad meridiem tendit. Si quidem Borealia & occidentalissima montanę regionis, vbi est ascensus, sub eo parallelo ponit, qui per Byzantium transit. Australia autem, & quę ad ortum vergunt, sub eo qui per Hellespontum. Quapropter illam tradit reciprocam esse, ita vt modo ad ortum vergat, mox & ad austrum. Inde viam, quę ad turrim vsque est lapideam schęnorum quinquaginta ad arctos declinare par est. Etenim vallem inquit, ascendentes lapidea excipit turris, à qua montes qui ad ortum tendunt, monti coniungit Imao, qui à Palimbrotis insurgit ad Arctum. Si igitur partibus sexaginta, quę ex viginti quatuor milibus colliguntur stadijs, quot à turri lapidea vsque ad Seras sunt, partes adijciantur quadraginta quinque & quarta, interstitium ab Euphrate ad Seras vsque per Rhodi parallelum partium erit centum quinque & quartę vnius. Quinetiam ex

ex ijs quæ ipse per particularem stadiorum numerum, tanquam sub eodem parallelo supponit, colligitur distantiam, quę est à meridiano insularum Fortunatarum vsque ad Sacrum Hispanię promontorium, partium esse duarum & semis. Hinc ad Bætis ostia, & Calpem vtrinque pariter duas & semissem: quæ vero sequitur ab ostijs Bętis Carallim vsque Sardinię, partes esse quinque & viginti. A Caralli autem in Lilybæum Siciliç quatuor & semissem, ac inde ad Pachynum tres, rursusque à Pachyno in Tenarum Laconię partes decem. Inde Rhodum octo & quartam, à Rhodo vero ad Issum vndecim cũ quarta. Ab Isso autem ad Euphraten duas ac semissem, ita vt tota hęc distantia partium esse septuaginta duarum colligatur. Longitudo vero totius terrę cognitę à meridiano per insulas Fortunatas, vsque ad Seras partium centum 70. septem cum quarta vna.

Eadem emendatio à nauigationibus. Cap. XIII.

PROINDE quis talem esse longitudinẽ etiam coniectare posset per interualla, quæ ipse in nauigatione ponit ab India, vsque ad sinum Sinarum & Cattigarorum, si nauigationes secundum sinuationes & irregularitates, necnon positiones consideraret, iuxta appropinquationem adiectionum. Etenim à promontorio, quod post Colchicum est sinum, Coryque vocatur, Argaricum sinum suscipi ait, qui vsque ad Cururam ciuitatem tria milia & quadraginta contineat stadia: Corymque Cururę ciuitatem, quasi à Borea sitam esse. Colligitur ergo transfretationem hanc, si tertia pars iuxta consequens Gangetici sinus fuerit subducta, duorum millium ac triginta ferè stadiorũ, vnà cum cursus inęqualitate existere, à quibus si cõtinuitatis gratia iterum pars tertia dempta fuerit, stadia mille trecenta ac quinquaginta ferme deprehendentur, iuxta positionem ad Boream: quod spacium si ad parallelam ęquinoctialis lineã, & tanquam ad Apeliotem traductum fuerit, per diminutionẽ medietatis congruenter intercepto angulo, distantiam, quę inter duos meridianos est habebimus, & eius quę per Cory promontorium, & quę per Cururam est ciuitatem: stadiorum quidem sexcentorum septuaginta quinque, partes vero vnius ferè cum tertia: propterea quod paralleli per loca hęc nil nota dignum à maximo differant circulo. Rursus nauigatio à Cururа ciuitate, inquit, ad hybernum solis est ortum, Paluras vsque stadiorum nouem milium quadringentorum quinquaginta: à quibus si obcursus irregularitatem tertiam illam pariter detraxerimus partem, distãtiam, quę ex continuitate conflatur, & quasi versus Eurum tendit, habebimus, stadiorum, ferè sex millium trecentorum. Porrò si ab his quoque sextam dempserimus partem, vt distantia ad lineam parallelam ęquinoctialis redigatur, meridianorum quoque horum distantiam inueniemus, stadiorum eßе quinque millium ducentorum quinquaginta, partium vero decem & semis. Inde vero sinum Gangeticum eßе ponit, stadiorum decem & nouem millium, enauigationẽ vero illorum, à Paluris ad Sadam millia tredecim, quasi ad ortum ęquinoctialem. Quapropter tertia tantum pars spacij huius propter nauigationis irregularitatem detrahẽda est, ita vt & horum meridianorum distantia esse relinquatur, stadiorum octo millium sexcentorum septuaginta, partium vero decem & septem cum tertia vna. Reliquam vero nauigationem à Sada vsque ad ciuitatem Tamalum stadiorum esse facit trium millium ac quingentorum, quasi ad ortum hybernum: à quibus si iterum tertiam deduxerimus partem habebimus cursus continui, stadia duo millia trecenta triginta: quod si ob inclinationem ad Eurum sextam etiam dempserimus partem, expositorum quoque meridianorum inueniemus distantiam, stadiorum esse mille noningentorum & quadraginta, partium vero trium fere necnon semis & tertię. Deinde transfretationem à Tamala, ad Chersonesum auream, stadiorum esse ponit, mille sexcentorum quasi rursus ad ortum hybernum, ita vt si ibi quoque similes auferantur partes, relinquatur distantiam meridianorum stadiorum esse noningentorum, partis vero vnius, cũ quintis quatuor. Distantia autem, quę à Cory promontorio, ad aureã vsque est Chersonesum, partium esse colligatur triginta quatuor cum quintis quatuor.

De nauigatione à Chersoneso aurea ad Cattigaram. Cap. XIIII.

CAETERVM stadiorum numerũ eius nauigationis, quę est ab aurea Chersoneso ad Cattigaram, Marinus haud explicat; refert autem Alexandrum scripsisse terram inde cõtrariam esse meridiei, & qui iuxta illam nauigant diebus viginti applicare ad ciuitatem Zabas: à Zabis vero nauigantes ad austrum, magisque in læuam, diebus aliquot Cattigaram excipere. Adauget igitur distantiam expositam, dies aliquot pro multis excipiẽs: nam propter multitudinem, inquit, eos haud esse comprehẽsos numero, quod ego quidem ridiculum censeo: quis enim dierum numerus infinitus erit, etiam si totius terrę peragratę ambitum contineat? aut quid prohibebat Alexandrum pro quibusdam dicere multos? quemadmodum Dioscorum retulisse, inquit, nauigationem à Raptis ad Prassum multorum esse dierum. At qui rationabilius est, vt quis dies aliquot pro paucis intelligat, nam talem dicendi modũ reprehendere consueuimus. Verum ne & nos quoque multitudinem aliquam propositam, ad simplices tãtum coniecturas adaptare videamur, assumamus nauigationem à Chersoneso aurea vsque ad Cattigaram ex viginti diebus. qui ad Zabam, necnon ex alijs quibusdam qui ad Cattigaram sunt cõpositam quemadmodum & nauigatio illa ab Aromatis ad Prassum promontorium, quæ & ipsa ex pari dierum numero viginti, ad Rapta composita est secundum Theophilum, & ex alijs multis, quę secundum Dioscorum sunt ad Prassum, vt & Marinum pariter imitemur, qui dies aliquot comparat multis. Postquam igitur per certas rationes, necnon ex apparentibus ipsis ostendimus Prassum eßе sub parallelo, qui ab ęquinoctiali abest, meridiem versus partibus sexdecim, tertia vna, & duodecima, parallelusque qui per Aromata transit, ab ęquinoctiali versus septentriones partibus distet quatuor & quarta, ita vt si tota distantia, quę ab Aromatis est ad Prassum, in vnum contrahatur, partium viginti & tertiarum duarum eßе colligatur: forsitan non inepte totidem ab aurea Chersoneso ad Zabas ponemus, ac inde ad Cattigaram. Porrò distantiam, quæ est ab Chersoneso aurea ad Zabas, imminuere haud oportet, quoniam ęquinoctiali parallela existit, & quia regio interme dia meridiano extenditur contraria: at etiam distantiam, quæ est à Zabis ad Cattigaram, quia nauigatio vergit ad austrum & ad ortum, contrahere decet, vt positionem, quę ęquinoctiali est parallela, capiamus. Si itaque dimidium partium, vtrique attribuamus distantię, propter incertum eorum excessum, & à partibus, quę à Zabis ad Cattigaram sunt decem cum vna tertia, iterum tertiam partem,

propter

propter inclinationem detraxerimus, habebimus distãtiam quoque ab aurea Chersoneso ad Cattigaram, positione sua, ęquinoctiali parallelam, partium decem & septem cum sexta quasi. Atqui ostensum est, distantiam à Cory promontorio, vsque ad auream Chersonesum, partium esse triginta quatuor, & quatuor quintorum: tota igitur distantia, quę est à Cory Cattigaram vsque, partium fermè quinquaginta duarum esse colligitur. Verum meridianus, qui & per Indi fluminis principia, Paulo secundum Marinum occidentalio r est, boreali Taprobanes promontorio, quod ex opposito Cory situm est: at Taprobane distat à meridiano, qui per Bętis fluminis est ostia, horarijs interstitijs octo, partibus vero centum viginti, meridianus vero ille qui per Bętis transit ostia, ab eo qui per Fortunatas est insulas, partibus quinque: ita vt meridianus per Cory à Fortunatis distet insulis paulo plus partibus centum viginti quinque: qui vero per Cattigaram ab eo, qui per Fortunatas transit insulas ad illud idem promontorium paulo plus partibus centum septuaginta septem, secundum eandem fermè distantiam partium, quę per Rhodiensem colliguntur parallelum. Sed suppona tur totam longitudinẽ vsque ad Sinarum metropolim, partium esse integrarum centum octuaginta, horarum vero duodecim, quoniam omnes consentiunt eam Cattigaris orientaliorem esse, colligentur per Rhodiensem longitudinem stadia septuaginta duo millia fermè.

De ijs, quæ in particulari expositione Marini dissentiant. Cap. XV.

IGITVR distantias vniuersaliter in tantum contraximus, & longitudinis ad ortum, & latitudinis ad meridiem, propter causas expositas. Cęterum & particulariter ciuitatum positiones multoties emendatione dignas putamus, in quibus pugnantes, aut non consequentes expositiones fecit, propter compositiones diffusas & varias, diuersis editas commentarijs, quemadmodũ in ijs quę opposita esse credidit. Nam Tarradonem ait ex opposito Iuliæ Cęsareę sitam esse, meridianum per hanc & montes Pyrenęos scribens, qui tamen non parum Tarracone sunt orientaliores: Pachynumque Lepti magnę, ac Thęenis Himeram opponit, distantia à Pachyno ad Himeram quasi stadiorum quadringentorum collecta: ea vero quę à Lepti ad Thęnas est, supra mille quingentorum, quẽadmodum ex ijs patet, quę Timosthenes scribit: rursusque Tergestum Rauennę opponi inquit, & ab intimo sinu Adrię, qui iuxta Tiliauemptum est fluuium Tergestum abesse versus ortum ęstiuum stadia quadringenta, Rauennam vero ad hybernum ortum stadijs mille. Similiter Chęlidonęas refert Canobo oppositas esse, Acamantaque Papho, Paphum autem Sebennito: verum distantia, quę ab ipso à Chęlidonęis in Acamantam mille stadiorum, necnon quę à Canobo in Sebennitum, à Thimosthene ducentorum nonagin ta esse ponitur, si sub eisdem iaceret meridianis, longe maior esse deberet, quoniam maioris paralleli subtendit circunferentiã. Rursus Pisam à Rauenna Libonotum versus distare ait stadijs septingentis, per diuisionem tamen climatum, necnon horariorum interuallorum, Pisam quidem in tertio interstitio horario ponit, Rauennam vero in quarto, quin & quum Nouimagium Britannia australius esse dicit miliaribus quinquaginta nouem, Borealius tamen per climata ostendit: Athum quoque ordinans sub parallelo, qui per Hellespontum transit, Amphipolim tamen & loca circuniecta, super Athum & Strymonis ostia sita, in quarto climate, ac infra Hellespontum ponit. Similiter quum Thracia ferè tota sub parallelo, qui per Byzantium transit posita sit, vniuersas tamen ciuitates eius mediterraneas, in climate quod supra hunc parallelum est, constituit. Quinetiam Trapezuntem, inquit, statuemus sub parallelo, qui per Bizantium transit, Sataliaque Armenię, ostendens à Trapezunte abesse meridiem versus miliaribus sexaginta, secundum tamen parallelorum descriptionẽ, eum, qui per Byzantium transit, per Satalia, & non per Trapezuntem ducit. Sed & Nilum fluuium se veritati consonum, descripturum inquit. ex quo primum à meridie ad arctos vsque Meroem accedere videtur, pariter & Aromatum nauigatione ad paludes, ex quibus Nilus fluit, Aparctia perfici. Veruntamen Aromata orientaliora sunt quam Meroe: nam & Ptolemais ferarum orientalior est, quam Meroe & Nilus, decem dierum itinere aut duodecim: Ptolemaide item orientaliores existunt angustiæ Adulici sinus, quæ sunt iuxta Ocylem Chersonesum & Dyren, stadijs tribus milibus quingentis: illis vero adhuc orientalius est magnorum Aromatum promontorium, stadijs quinque milibus.

Quod eum latuere quędam in prouinciarum terminationibus. Cap. XVI.

QVINETIAM circa regionum fines quędam eum latuere, quemadmodum quum totam Mysiam ab ortu, mari terminat Pontico. Thraciam vero ab occasu, Mysia superiori. Quin & Italiam à Septentrionibus solum Rhętia finit, ac Norico: sed & Pannoniam à meridie sola Dalmatia, & non etiam Italia terminari scribit. Sogdianos prąterea mediterraneos, & Saccas, à meridie Indiæ conterminos esse duos insuper parallelos, & eum qui per Hellespontum transit, & qui per Byzantium, sintque Imao mõte, quia in India Septentrionalissimus est, Borealiores, nequaquam per dictas scribit gentes sed potius illum, qui per medium Pontum transit.

In quibus ipse dissentit ab ijs, quę nostro ęuo historijs sunt prodita. Cap. XVII.

IN his igitur & talibus, minus sibiipsi Marinus constitit, siue ob multitudinem & diuersitatẽ compositionum, siue quia nondum etiam in vltima editione (velut ipse dicit) ad tabulæ descriptionem peruenerit: per quam solum climatum horariorum interstitiorum rectificationem facere potuisset. Quędam vero ne nunc quidem prąsentibus conueniunt relationibus, velut Sachalitis sinus, ab occasu Syagri promontorij ab ipso positus. Siquidem omnes plane, qui per loca hæc nauigarunt, vnanimiter nobis astipulantur, ab ortu Syagri Sachaliten Arabiæ regionem esse, ac eiusdem nominis sinum. Rursusque Simylla Indię emporium, nõ solum Mareo promontorio occidentalius ab ipso positum est, sed etiam flumine Indo: quum solum fluuij ostijs, meridionalius esse perhibeatur, etiam ab ijs, qui hinc illac nauigarunt, & qui multo tempore in locis illis versati sunt, nec non ab ijs etiam, qui illinc ad nos applicuere, vocarique ab indigenis aiunt Timula: à quibus & alia circa Indiam, & eius prouincias, particularius didicimus, etiam regionis illius interiora, vsque ad auream Chersonesum, ac inde ad Cattigaram vsque. Siquidem in hoc concordant, nauigationes eorum, qui illac tendunt ad solis ortum esse,

esse, rursusque inde redeuntium ad occasum: pariterque consentiunt nauigationis tempus irregulare, & inordinatum existere. Quodque vltra Sinas, Serum iaceat regio, & metropolis, ac quod his orientalior terra sit incognita, stagna habens paludosa, in quibus calami nascuntur magni & ita densi, vt homines illi, cum ijs trãsfretare soleant. Et quod non solum inde ad Bactram iter sit per turrim lapideam, sed & in Indiam quoque per Palimbothra: via autem, quæ à Sinarum Metropoli ad portum est Cattigaræ, occasum versus ad meridiem tendit. qua propter nequaquam in eum cadit meridianum, qui per Sinas est & Cattigaram (vt Marinus refert) sed in aliquem, qui orientalior existit. Porrò & à mercatoribus, qui ab Arabia felici, ad Aromata, & Azaniam, necnon Rapta nauigant (quæ cũ cta proprie Barbaria vocantur) certiores redduntur, nauigationem illam non exacte ad meridiem esse, sed hanc quidem ad occasum & meridiem: ea vero transfretatio, quæ à Raptis ad Prassum est, ad ortum & meridiem. Paludes quoque, ex quibus Nilus fluit, non esse iuxta mare, sed multo interiores, ordinemque littore Aromatum, & à Sinis ad Raptum promontorium alium esse quàm Marinus retulerit: ex nauigatione quoque ibi, diei vnius ac noctis, non multa colligi stadia, ob mutationem ventorum sub æquinoctiali velocem, sed ad summum, stadia quadringenta, aut quingenta. Primum autem sinum contiguum esse Aromatis, in quo post vnius diei iter ab Aromatis Panorum esse vicum, Opponemque emporium à vico distare itinere dierũ sex: post hoc quoque emporium, alium coniungi sinum, principium Azaniæ, in cuius principio Zingina esse promontorium, & Phalangida montem tricipitem: solumque sinum hunc vocari Apocopa, qui duobus transfretari possit diebus & noctibus, postea paruum sequi littus, in transitu distãtiarum trium, & aliud quoque, quod Magnum littus appellatur, distantiarũ quinque, quæ distantię ambæ pariter diebus & noctibus quatuor enauigari possint: his quoque coniungi alium sinum, in quo emporium sit, quod vocatur Issina, post nauigationem dierum duorum & noctium. Inde Serapionis portum nauigatione diei vnius, postea sinum auspicari, qui ad Rapta ducit, trium dierum & noctium trãsfretationem habentem, iuxta cuius principia emporium esse, quod vocatur Nici: apud Raptum vero promontorium, fluuium Raptum ac Metropolim nominis eiusdem, parum distantem à mari, quod vero à Raptis ad Prassum vsque est promontorium, sinum esse maximum, non tamen profundum, circum quem Barbari habitent Anthropophagi.

Quam sint inutiles Marini compositiones ad designationem orbis. Cap. XVIII.

QVAE igitur cognitionem aliquam ab ipsa historia consequi debeant, hucusque annotata sint, veruntamen ne quibusdam contentionem potius quam emendationem suscepisse videamur, singula nobis per enarrationem particularem manifesta erunt: nunc vero restat, vt ea quę ad descriptionis pertinent aggressionem, consideremus. Proinde quum duplex illius sit modus: primus qui orbis dispositionẽ in parte sphæricę superficiei designat: secundus vero qui in plano: ambobus id conuenit, vt proponatur quędam operis vtilitas: hoc est, vt ostendatur, quonam modo, etiam si nullum propositum sit exẽplar, ex sola ea, quę per commentaria traditur, doctrina descriptionem, quantum fieri

fieri potest commodissimè facere possimus. Etenim traductio assidua à prioribus exẽplaribus ad posteriora, propter variationem paruam, mutationes admodum dissimiles in rem hanc egregiam inducere solet: modus vero ille, qui per commentaria traditur, si non sufficiens ad demonstrationem expositionis esse contingit, impossibile erit ijs, qui exemplari carent, rite consequi propositum. Quod & nunc quàm plurimis euenisse videmus, in tabula, quã Marinus composuit: quum enim exemplaria vltimæ eius editionis assequi nequiuere, sed solum ex commentarijs rem ruditer & quasi per coniecturam aggressi sunt, in plurimis, quæ confessæ sunt collectionis errauerunt, propter ineptitudinem & confusionem institutionis, quemadmodum vnicuique experto considerare licet. Quum enim ad singula loca designanda necesse sit, & longitudinis, & latitudinis positionem habere, ei qui illa debito ordine collocare velit, non tamẽ confestim quis eam in compositionibus inueniet, sed separatim: hic enim latitudines tantum deprehendet, veluti in positione parallelorum, alibi autem longitudines solum, quemadmodum in meridianorum designatione. Vt plurimum tamen vtraque hæc in eisdem commentarijs haud inueniet, sed in alijs quidem paralleli describuntur, in alijs vero meridiani: ita vt tales in positionibus semper alterius ope indigeant, penitusque ad considerationem, quo loco constituenda sint singula omnium opus sit euolutione commentariorum: quoniam in omnibus aliter de eisdem dicitur. Et si non inquirimus, quæ secundum quamlibet speciem, de eodem exposita sunt loco, illa nos latebũt, aberrabimusque in multis, quibus vera obseruatio contingere deberet. Proinde in ciuitatum dispositione, littorales aliquis facilius describere posset, si penitus ordinem quendam in ipsis obseruaret: mediterraneas vero non ita, quum nulla adhuc habitudo, siue inter ipsas inuicem, siue ad littorales illas sit signata, præterquam in paucis, in quibus euenit, vt non nunquam longitudinis meta, aliquando vero latitudinis locus sit definitus.

De commoditate enarrationis nostræ ad designationem orbis. Cap. XIX.

QVAPROPTER duplicem nos laborem suscipimus. Primum vt viri opinionem per totam obseruemus compositionem, præterqaam in ijs, quibus rectificatio quædam contigit. Deinde vt ea, quæ ab ipso manifesta non sunt facta, per historias moderniores, vel ordinem tabularum magis accuratarum quàm commodissime aperiremus, quo descriptio debitum suum assequi posset decorem. Quinetiam facilioris modi gessimus curam: Nam super omnes prouincias singulatim proprias circunscriptiones, qualesque tam secundum longitudinem quàm latitudinem positiones habeant diligenter ordinauimus, ac insuper potissimarum gentium, quæ in illis degunt, adinuicem habitudines, necnon insigniorum vrbium, ac fluminum, sinuumq; & montium, ac aliorum, quæ in orbis tabulam incidere possunt, exactas distantias: hoc est, quot distant partibus, qualium est circulus maximus trecentarum sexaginta: secundum longitudinẽ quidem, meridianus per locũ descriptus, ab eo qui occidentalem finem terminat super æquinoctiali: secundum latitudinem vero per eundem locum scriptus parallelus ab æquinoctiali super meridiano. Sic enim confestim vniuscuiusque loci positionem cognoscere poterimus, necnon per diligentiam locorum particularium, prouinciarum etiam inter se habitudinem, ac ad totum denique orbem.

De mensuratione inconcinna tabulæ Geographicæ à Marino compositæ. Cap. XX.

VTRAQVE autem designatio proprium quid habet. Nam descriptio in sphæra fiẽda, ex semetipsa similitudinem retinet figuræ terræ, nulliusque alterius ad opus hoc indiget artificio: non facile tamen magnitudinem præbet, quæ suscipere possit multa, quæ necessario suo collocanda sunt loco: neque descriptionem, vt vnico momento cerni valeat, toti figuræ adaptare potest: sed alterum ad alterius designationem transferre necesse existit: hoc est, aut visum, aut sphæram: quorum neutrum descriptioni, quæ in plano fit accidit, sed modum quendam ad similitudinem sphæricæ imaginis inquirit, vt distantias, quæ in ea statuendæ sunt, quàm maxime commensuratas faciat, ac secundum eam apparentiam, quæ cum vera conueniat. Quod Marinus scientiæ haudquaquam fortuitæ esse censuit, penitusque omnes descriptionum planarum modos reprehendit nihilominus tamen eo ipse vsus esse videtur, qui ex omnibus minime, commensuratas faciat distantias: nam pro cunctis circulorum, necnon parallelorum & meridianorum lineis, rectas substituit, ac etiã meridianorum æquidistantes inuicem, similes parallelis: solum autem parallelum, qui per Rhodum est, obseruauit meridiano commensuratum, secundum similium in sphæra circumferentiarum sesquiquartam ferè rationem, circuli magni ad parallelum, qui ab æquinoctiali distat partibus triginta sex. Aliorum autem nullam curam gessisse videtur, neque symmetriæ, neque sphæricæ designationis gratia. Primum enim constituto visu, ad medium borealis quadrantis sphæræ, in quo maxima pars orbis describitur, meridiani rectarũ linearum imaginationem præbere possunt, quum vnusquisque ex reuolutione contrarius statuitur, caditque planum ipsius per verticem visus: verum non ita paralleli, propter appositionem poli borealis, circulorum autem segmenta manifeste ostendũt conuexitates suas ad meridiem conuertere. Præterea quamuis secundum veritatem pariter & imaginationem ijdem meridiani similes quidem, inæquales tamen circunferentias in parallelis secundũ magnitudinem differentibus, intercipiant, ac semper maiores, in ijs, qui æquinoctiali sunt proximiores, Marinus tamen omnes facit æquales: distantias autem climatum, quæ borealiora sunt, quam parallelus, qui per Rhodum transit, plus quam veritas patiatur, extendit. Eas vero quæ australiores sunt in minus contrahit, ita, vt illeiam non amplius stadiorum numero, qui ab ipso positus est congruant: sed sub æquinoctiali quinta potissimum eorum parte deficiant, quota & parallelus, qui per Rhodum est deficit ab æquinoctiali. Distantias autem quę sunt sub parallelo, qui per Thylem transit, quadruplici sua quinta adauget, quot & parallelus per Rhodum excellit illum, qui per Thylem transit. Parallelus enim, qui per Rhodum scribitur, ab æquinoctiali distat partibus triginta sex, talium ferè est nonaginta trium, qualium ęquinoctialis vel meridianus centum & quindecim: qui vero ab æquinoctiali distat partibus sexaginta tribus, scribiturq; per Thylem, prædictarum æquinoctialis aut meridiani partium est quinquaginta duarum.

Quænam obseruanda sunt in designatione fienda in plano. Cap. XXI.

QVAPROPTER bene ob hæc erit, vt lineæ quæ pro meridianis ponentur, rectæ seruentur: quæ vero parallelis, vt in circulorum segmentis

mentis per vnum & idem centrum scribantur: à quo per suppositum borealem polum meridionales rectas lineas ducere oportebit, quo præ omnibus similitudo secundum habitudinẽ ipsam, & forma sphæricæ seruetur superficiei: ita tamen, vt meridiani absque declinatione ad parallelos remaneant, ac etiam in communem illum polum coincidant. Cæterum, quum possibile haud sit, vt per omnes parallelos proportio seruetur ad sphæram, satis erit vt hoc in eo, qui per Thylem est, ac in æquinoctiali, obseruetur, quo latera, quæ latitudinem secundum nos complectuntur, veris fiant commensurabilia. Qui vero per Rhodum scribitur, super quo in distantijs longitudinis plurime factæ sunt indagationes, per diuisionem proportionis ad meridianum, veluti Marinus fecit, designari debet: hoc est, iuxta sesquiquartam ferè, similium circunferẽtiarum rationem, quo magis nota orbis longitudo recte cum latitudinis mensura cõueniat. Huius vero instructionis modum deinceps manifestũ redemus, quum exponemus, quo pacto in sphæra descriptio fieri debeat.

Qualiter oporteat orbem in sphæra describere. Cap. XXII.

MAGNITVDINEM igitur sphæræ, aut multitudine locorum designandorum, inuentio præparãtis discernet, quo firmitudinem habeat simul & decorem: quanto enim hæc plus augetur; tanto etiam descriptio, sincerior pariter & manifestior fieri poterit. Quantacunque igitur fuerit, poli ipsius sumantur, accurateque ei semicirculum adaptemus, qui parum & nisi tantum à superficie distet, vt illam in reuolutione non atterat. Semicirculus vero tenuis sit, ne multa obumbret loca. Alterum vero latus examussim per ipsa signa, quæ per polos transeunt, habeat extensum, vt per illud meridianos scribamus: quod & in centum octuaginta diuidemus particulas, numerosque assignabimus, & à media, quæ per æquinoctialem futura erit sectione, initium facientes. Similiter & æquinoctialem describentes, alterum illius semicirculum in æquas centum & octuaginta diuidemus partes: huiusque numeri principium ab illius fine incohabimus, per quem & occidentalissimũ describemus meridianum. Descriptionem autem longitudinis & latitudinis, ex commentarijs, in quibus annotatæ sunt partes, secundum vnumquemque locum signatum faciemus, necnon à diuisionibus semicirculorum æquinoctialis, & mobilis meridiani: huncque ad ostensam longitudinis partem circunferemus; hoc est, ad numerum, qui æquinoctialis continet sectionem, latitudinis vero distantiam, ab æquinoctiali, ex ipsa meridiani diuisione sumemus, & iuxta numerum ostensum, signationem ponemus eodem modo, quo & in locatione stellarum super sphæram solidam. Similiter & meridianos scribere licebit, per tot longitudinis partes, quot voluerimus, pro norma vtentes latere circuli diuisi. Parallelos autem per tot partes scribere poterimus, quot distantiarum erit commensuratio, si signum illud, quod eos describit (numero peculiarem distantiam lateris signante) apponamus, circumferamusque cum ipso circulo vsque ad meridianos, qui terminos cognitæ telluris segregant.

Expositio meridianorum & parallelorum, qui descriptioni sunt apponendi. Cap. XXIII.

PROINDE isti interstitia horaria complectentur duodecim, demonstratis consequenter. Scribatur autẽ parallelus, qui australiorẽ terminat

minat plagam, vt tantum distet ab æquinoctiali, meridiem versus, quantum parallelus per Meroem versus Septentriones. Cæterum meridianos per tertiam partem vnius horæ æquinoctialis scribi debere, commensurabile nobis visum fuit, hoc est, per particulas quinque earum, quæ in æquinoctiali comprehensæ sunt: parallelos autem, qui æquinoctiali sunt borealiores, ita.

Primum quidem, vt ab ipso per quartam vnius horæ differat, ac secundum meridianum, quemadmodum demonstrationes lineares ferè subijciunt, partibus distet quatuor & vna quarta.

Secundum vt per dimidiũ horæ vnius differat, pariterque distet partibus octo tertia & duodecima.

Tertium, vt per horam dimidiam & quartam horæ vnius differat, partibus vero distet duodecim semisse.

Quartum, vt per horam differat vnã, distetque partibus sexdecim ac tertia & duodecima, scriptumque per Meroem.

Quintum, vt differat per horam unam & quartam, ac distet partibus viginti, quarta vna.

Sextum vero & sub æstiuo tropico, vt per horam vnam & dimidiam differat, distetque partibus 23. dimidia & tertia, scriptumque per Syenem.

Septimum, vt hora vna ac dimidia nec non quarta differat, ac partibus distet 27. dimidia ac sexta.

Octauum, vt horis differat duabus, distet vero partibus 30. cum tertia, transit autem per Alexandriam.

Nonum vero, vt differat horis duabus cum quarta, distetque partibus 33. & tertia.

Decimum, vt horis duabus & dimidia differat ac distet partibus 36. scriptumq; per Rhodum.

Vndecimum, vt differat horis duabus cum dimidia & quarta, distetque partibus 38. cum dimidia ac duodecima.

Duodecimum, vt horis differat tribus, ac distet partibus 40. dimidia, tertia & duodecima, per Hellespontum.

Decimumtertium, vt differat horis tribus cum quarta, distetque partibus 43. & duodecima, per Bizantium.

Decimumquartum vero, vt differat per horas tres cum dimidia, ac partibus distet 45. per medium Pontum.

Decimumquintum, vt horis differat quatuor, distetq; partibus 48. dimidia & per Boristenem.

Decimumsextum, vt differat horis quatuor & dimidia ac distet part. 51.

Decimumseptimum, vt quinque differat horis, distetque partibus 54.

Decimumoctauum, vt differat horis quinque cũ dimidia, ac distet partibus 56.

Decimumnonum, vt sex differat horis, distetque partibus 58.

Vigesimum vero, vt horis differat septem, ac distet partibus 61.

Vigesimumprimum, vt per octo differat horas, distetque gradibus 63. ac scriptum per Thylem.

Scribetur & alius ad meridiem ab æquinoctiali, qui horæ dimidiæ contineat differentiam, qui & per Raptum promontorium, & Cattigaram transibit, loca oppositione sua ferè æqualia, ac distet ab æquinoctiali partibus octo tertia & duodecima.

Modus per quem orbis in plano ita describi posit, ut commensuratione similis sit positioni sphæricæ. Cap. XXIIII.

IN descriptione vero quæ in tabula fit, modus Symmetriæ extremorum parallelorum talis nobis erit. Præparabimus tabulam parallelogramam rectangulam, veluti est a,b, c, d, habeatque latus a,b, duplum ferè quam a,c, supponaturque recta, a, b, secundum positionem superiorem, quæ in descriptione versus partes erit Boreales. Deinde diuidemus, a,b, bifariam, & ad rectos angulos lineæ rectæ, e, f, normam illi commensuratam, & rectam adaptabimus: ita vt linea media, e, f, sua longitudine sub vna rectitudine, vsque ad, e, g, protrahatur: sumamusque ab ipso, e, vsque ad, g, 34. partes tales, quales sunt per lineam rectam, g, f, centum triginta vna & tertia cum duodecima: super centroque, g, per signum interstitij, quod ab eo abest per lineam, g, k, sectionibus septuaginta nouem, circulum scribemus, qui pro eo erit parallelo, qui per Rhodum transit, nempe, h, k, l. Pro terminis vero longitudinis, quæ ex sex horarum colliguntur interstitijs ab vtraque parte, k, sumamus super, g, f, medij meridiani linea distantiam quatuor interstitiorum, quæ in parallelo per Rhodum similes sint quinque, per sesquiquartam ferè rationes maximi circuli ad ipsum, talesque decem & octo constituemus ab vtraque parte puncti k, secundum circunferentiam, h, k, l, habebimusque signa, per quæ coniungere oportebit ab, g, meridianos, qui tertiæ partis horarum interualla comprehendant: ita vt, g, h, m, & g, l, n, longitudinis terminent fines. Consequenter vero & parallelus qui per Thylem est, scribetur distantia quæ absit ab, g, super linea, f, g, sectionibus 52. veluti, o, p, q, æquinoctialis vero, vt similiter distet, à g, per lineam, f, g, sectionibus 115. qui sit, r, s, t, oppositus vero per Meroem & australissimus, vt distet à, g, sectionibus 131. cum tertia & duodecima, veluti, m, u, n. Ratio igitur ipsius r, s, t, ad, o, p, q, colligetur quemadmodum 115. ad 52. secundum rationem parallelorum horum in sphæra: quandoquidem qualium, g, s, supponitur 115. talium est &, g, p, sectionum quinquaginta duarum. Et quemadmodum se habet, g, s, ad, g, p, sic se habet circunferentia, r, s, t, ad, o, p, q. Deprehendetur autem & meridiani, p, k, distantia, hoc est ea, quæ ab parallelo, qui per Thylem transit ad illum qui est per Rhodum sectionum 27. distantia vero, k, s, idest, à parallelo, qui per Rhodum ad æquinoctialem vsque, earundem sectionum existit 36. At distantia, s, u, hoc est ea, quæ ab æquinoctiali est ad oppositum ei, qui est per Meroem, earundem 16. cum tertia & duodecima. Præterea qualium est distantia, p, u, secundum latitudinem terræ cognitæ, septuaginta nouem cum tertia & duodecima, aut integrarũ octuaginta, talium erit & h, k, l, media secundum longitudinem distantia, centum scilicet quadraginta quatuor, secundum ea, quæ demonstrationibus supponuntur: eandem enim rationem ferme habent, quadraginta millia latitudinis, ad septuaginta duo millia longitudinis, in parallelo, qui per Rhodum transit. Porrò & reliquos scribemus parallelos, si rursus centro, g, vsi fuerimus, & interstitijs, quæ distant ab, s, æqualibus sectionibus, vt expositum est, ab recessibus æquinoctialis. Cæterum non oportet vt eas lineas, quæ pro meridianis ponuntur, ad parallelum vsque, m, u, n, rectas scribamus, sed solum vsque ad æquinoctialem, r, s, t, ac postea circunferentiam, m, u, n, diuidemus inæqualia, & numero paria segmenta, quæ attribuemus meridianis illis, qui per Meroem sumuntur, sectionesque illas coniungemus, cum meridianis, qui recte super æquinoctialem incidunt, vt appareat, qualis ex inuersione transumpta, sit ab altera æquinoctialis parte & ad meridiem declinans positio, veluti ostendunt, r, x, & t, y, lineæ.



Demum propter facilem locorum ordinandorum adnotationem iterum regulamentum tenue faciemus, quod æquale sit longitudini, g, f, tantum illudque firmabimus in, g, ita, vt cum per totam longitudinem descriptionis circunferatur, exacte rectis alterius lateris congruat meridianis, quo sectio eius per medium cadat polum: latusque hoc in segmenta, si ad, g, f, pertinere debent, centum triginta & vnam diuidemus, aut solum in segmenta centum quindecim, si, g, f, respiciant: numerosque adnotabimus facientes initiũ à sectione, quæ per æquinoctialem est: à quibus & parallelos scribi intelligere possumus, ne dum meridianum, qui in descriptione est, in omnia segmenta diuidimus, & signamus, inscriptiones locorum, quę super ipsum casuræ sunt, confundamus. Partiemur igitur æquinoctialem in duodecim horarum centum octuaginta partes, numerosque apponemus, initium facientes à meridiano occidentalissimo, ac semper regulamenti latus ad ostensam longitudinis partem mouebimus donec per diuisionem in regulamento factam, ad positionem secundum latitudinem signatam perueniamus, ibique super vnoquoque signationem debitam, eodem quo in sphęra ostensum est, modo faciemus.

Pars secunda huius vltimi capitis.

Porrò similiorem etiam, & magis commensuratam descriptionem orbis, in tabula faciemus, si lineas meridianas imaginatione concipiamus, ad similitudinem linearum meridianarum in sphęra: ita vt aspectus, seu oculorum axis in sphærę positionem penetret, & per sectionem, quæ ad aspectum est meridiani, qui longitudinem terræ cognitæ in duas diuidit partes, & paralleli, qui & ipse bifariã secat eius latitudinem, necnon centrum sphærę, quo ex æquo termini oppositi visu comprehendantur, & appareant.

Primum



Primum igitur propter quantitatem inclinationis parallelorum circulorum, & per incisionem signatam, & centrum sphærę erecti ad medium longitudinis meridianum plani, circulus intelligatur maximus, qui hemisphęrium terminet apparens, a, b, c, d, & semicirculus, qui hemisphęrium meridianum bifariam dispertit sic, a, e, c, at sectio, quæ ad aspectum huius est, & paralleli, qui bifariam secat latitudinem sit signum, e, scribaturque per, e, circuli maximi iterum semicirculus rectus ad, a, e, f, c, qui sit, b, e, d, cuius planum per axim aspectuum, seu visus subijci constat. Inde circunferentię, e, f, partes sumantur viginti tres & semis cum tertia, tot enim distat ęquinoctialis ab eo, qui per Syenem est, qui maximus ferè constituitur latitudine: scribaturque per, f, semicirculus ęquinoctialis, b, f, d, & tunc inclinatum apparebit ęquinoctialis planum, necnon reliquorum parallelorum, ad illud, quod est per axem aspectuum seu visus, quum circunferentia, e, f, partium existat viginti trium semis cum tertia.



Intelligantur itaque, a, e, f, c, & b, e, d, rectę pro circunferentijs, b, e, rationem habentibus ad, e, f, quam 90. ad 23. dimidium & tertium, & producta, c, a, cadat in centrum: in quo scribatur, b, f, d, circuli segmentum, iuxta, g. Sitque nunc propositũ vt ratio inueniatur, g, f, ad, e, b. Iungatur itaque, f, b, recta, quæ bifariam diuidatur in, h, coniungatur etiam, h, g, nempe vt perpendicularis ad, b, f, fiat. Quoniam igitur qualium est b, e, recta nonaginta talium supponitur, e, f, viginti trium & semis cum tertia, eorundem, erit &, b, f, subtensa nonaginta trium cũ decima. Angulus vero sub, b, f, e, talium centum quinquaginta cum tertia, qualium duo recti trecentarum sexaginta: reliquus vero angulus sub, h, g, f, eorundem viginti nouem cum tertijs duobus. ac ideo ratio, g, f, est ad, f, h, eadem, quę 180. semis cum tertia ad 46. & semis cum vicesima: & qualium est, h, f, recta 46. semis cum vicesima, talium, b, e, recta nonaginta: ita vt

qualium est, e, b, recta 90. eorundem est, f,e, 23. semis cum tertia, ac ideo qualium est, e,b, recta nonaginta, talium habebimus & ,g, f, rectam 181. semis cum tertia. Signumque g, in quo omnes scribantur parralleli in descriptione plana.

His præmissis accipiatur tabula, a,b,c, d, quæ iterum in duplo maiorem habeat, a, b, quam, a,c, sed æqualem, a,e, cum, e,b, & ad ipsas rectam, e,f: diuidaturque æqualis aliqua, e, f, recta in nonaginta quadrantis partes, accipianturque, f,g, partes sedecim cum tertia & duodecima, g, h, vero partes 23. semis cum tertia. at, g, k, earundem 63. suppositoque, g, pro æquinoctiali, erit, h, nota, per quam scribetur qui per Syenem est, & medius fermè latitudinis parallelus. F, vero nota erit, per quam scribetur ille, qui australem terminat finem, & oppositus illi, qui transit per Meroem. k. autem per quam signabitur ille, qui positionem finit septentrionalem, caditque per insulam Thylen. Deinde linea, e, f, producatur vsque ad, l, ita quod tota linea, f,e,l, contineat earundem sectionum 181. dimidiam cum tertia, aut 180. tantum; nam propter hoc descriptio nil notatu dignum variabit, in centroque, l, & interuallis, f,&,h, &,k, circunferentias scribemus, q,k,r, & o,h,p, &,m, f,n, & sit propria ratio parallelorum, ad inclinationem per axim aspectuum seu visus super planum obseruata erit. Quoniam & hic axis ad, h, declinare debet, & rectus esse ad tabulæ planum, vt rursus ex æquo oppositi fines descriptionis vsu comprehendi possint. Vt autem longitudo quoque commensurata sit latitudini (quoniam in sphæra qualiũ est maximus circulus quinque, talium fermè parallelus per Thylem esse colligitur duarum cum quarta, qui vero per Syenem est, quatuor cum dimidia & duodecima: at qui est per Meroem quatuor semis cum tertia) oportet ex vtraque parte, f,k, meridianæ rectæ decem & octo constituere meridianos, per tertiã partem vnius horæ æquinoctialis, ad complementum eorum, qui sub tota longitudine comprehenduntur. Semicirculorum autem æquiualentia accipiemus segmenta, secundum quemlibet trium expositorum parallelorum, tertiæ partis horæ vnius partes quinque. Et à, K, quidem per duas partes & quartam faciemus sectiones, qualium habebamus, e,f, rectam nonaginta: ab h, vero per quatuor & dimidiam cum duodecima, & ab, f, per quatuor dimidiã cum tertia super eisdem. Deinde per æquiualentia tria signa, scribemus circunferẽtias, quæ erunt pro reliquis meridianis, tanquã quæ totam terminent longitudinem, s,t,u, &,x,y,z. Adimplebimus & eas quoque, quæ pro cæteris erunt parallelis, rursus centro, L, vtentes, distantia vero pro fiendis sectionibus, super linea, f,k, iuxta distantias eorum ad æquinoctialem. Quod vero talis descriptio sphæricæ formæ similior sit quàm prior, per sese patet. Quoniam si sphæra fixa maneat, & non circumuoluatur, quod & tabulæ contingit necessario, quum per medium descriptionis visus constituitur, vnus quidem modius & meridianus per axem aspectuum seu visus in planum cadens, imaginationem rectæ præbet lineę: qui vero ex vtraque huius parte sunt omnes, ad ipsum secundum concaua conuersi apparent, & magis illi, qui plus ab eo distant: quod & hic obseruabitur, cum decenti conuexitatum analogia: pariter & commensuratio circunferentiarum parallelorũ adinuicem seruabitur, non solum vt inter illos qui sub æquinoctiali sunt, & eum, qui per Thylem transit, propria conseruetur ratio, sed & in alijs. vt quam rectissime quadrẽt, quemadmodum considerare licebit, ijs, qui periculum sunt facturi. Quin & totius latitudinis ad totam longitudinem ratio seruanda

da est: & rursus, non solum in illo parallelo, qui per Rhodum describendus est, quemadmodum ibi, sed planè in omnibus fermè. Si enim & hic producamus s, t,u, rectam veluti in priori figura, circunferentia, h,t, minorem videlicet rationem faciet



ad, F, S, &, k, V, quam conueniat rationi descriptionis huius: ita vt secundum totam, H, T, patiatur defectum. Si vero ipsam, H, T, commensuratam faciemus, k, F, latitudinis distantiæ, F, S, &, k, V, maiores erunt Symmetrijs, ad, F, k, Quemadmodum ad, H, T. Si autem, F, S, &, k, V, commensuratas ipsi, F, K, seruauerimus, H, T, minor erit commensuratione ad, k, F, quemadmodum ad, K, V, & H, T.

Ex his igitur modus iste priorem præcellit, à priori vero in facilitate descriptionis superatur. Quoniam illic quidem, ab regulæ circunductione & translatione, quum solum vnus descriptus erit parallelus, ac diuisus, singula loca suo ordine collocari poterunt: quod in descriptione ista non tam facile fieri potest, propter meridianarum linearum ad medium inflexiones, & quia omnes circulos singulatim inscribere necesse est, necnon positiones, quæ inter laterculos cadunt, ad tota amplectentia latera, per partes signatas ratiocinatione coniecturare. Quæ quum ita sint mihi & hic, & vbique quod melius est, licet

ſit laborioſius, deteriori tamen & faciliori præferendum erit: ambos tamen ſimul ita ordinatos modos, obſeruandos eſſe cenſeo eorum hominum gratia, qui propter facilitatem, ad expeditiorem modum ſunt procliuiores.

Qualium eſt æquinoctialis quinque, talium eſt qui per Meroem tranſit quatuor & ſemis cum tertia, vt rationem habeat ad eum, quam 30. ad 29.

Qualium eſt æquinoctialis quinque, talium eſt, qui per Syenem tranſit quatuor & ſemis cum duodecima, ita vt rationem ad eum habeat, quam 60. ad 55. hoc eſt, duodecim ad vndecim.

Qualium eſt æquinoctialis quinque, taliũ eſt, qui per Rhodum ſcribitur quatuor, vt ad eum rationẽ habeat ſeſquiquartam.

Qualium eſt æquinoctialis quinque, talium eſt, qui per Thylem tranſit duarum cum quarta, vt rationem ad eum habeat, quam 20. ad 9.

FINIS PRIMI LIBRI.

CL. PTOLEMAEI ALEXANDRINI

GEOGRAPHICAE ENARRATIONIS LIBER SECVNDVS.

Hæc in ſecundo continentur Libro.

Prologus particularis enarrationis.
Expoſitio occidentalioris Europæ partis, ſecundum ſubiectas ſedecim prouincias vel præfecturas.
Hyberniæ inſulæ Britannicæ.
Albionis inſulæ Britannicæ.
Hiſpaniæ Beticæ.
Hiſpaniæ Luſitaniæ.
Hiſpaniæ Tarraconenſis.
Celtogalliæ Aquitaniæ.
Celtogalliæ Lugdunenſis.
Celtogalliæ Belgicæ.
Celtogalliæ Narbonenſis.
Germaniæ magnæ.
Rhetiæ & Vindeliciæ.
Norici.
Pannoniæ ſuperioris.
Pannoniæ inferioris.
Illiridis Liburniæ.
Dalmatiæ.
Et hę prouincię explicãtur quinq; tabulis.

IN TABVLIS AVTEM HÆC POTISSIMVM OBSERVANTVR.

Definitio.
Promontoria.
Inſulæ.
Fluuiorum ſitus.
Littoralis deſcriptio.
Pelagorum nomina.
Montes.
Flumina.
Paludes.
Prouinciarum nomina.
Regiones ſeu gentes.
Inſcriptiones.
Supraſcriptiones.
Ciuitates inſignes.
Ciuitates ſecundæ.
Ciuitates tertiæ.



CAPVT PRIMVM.

Prologus.

QVę igitur vniuerſaliter circa Geographiã ſint obſeruãda, conſequenterque, quo pacto deſcriptio ex hiſtoria, vſque huc cognitarũ terræ partium emendari poſsit, hoc eſt, noſtri orbis, tam in Symmetria locorũ inuicem, quàm figura, vt quã maxime deſcriptioni in ſimilitudine & modo cõueniant, hucuſque nobis ſit prę-figuratum. Nunc vero particularem inchoabimus expoſitionem, illud præmittentes: Cenſendum eſſe, particulares exploratorum locorũ deſcriptiones quum in longitudine tum in latitudine, quàm maxime propter cognitionis aſsiduitatem ad ueritatem accedere, ac ideo etiã, quod ita omnes concordent traditiones. Quæ vero non eodem modo, propter raritatẽ, peragrata ſunt, nec ob incertitudinẽ hiſtoriæ cognita, exactiſsime conſiderari debere, ſecundum propinquitatem poſitionũ, & figurationem eorum locorum, quę certiori fide ſunt deprehenſa, quo nihil nobis ex ijs, quę ad complemẽtum totius orbis ordinanda ſunt, imperfectum habeat modum. Quapropter & partium poſitiones ſuper ſingulis locis in exterioribus ſpatiorum appoſuimus particulis, modo regulari: longitudinem tamen latitudini præpoſuimus, vt ſi emendationes aliquæ, ab hiſtoria certiori inciderint, in reliquis ſpatiorũ paginis aſcribi poſsint. Porrò & eum in deſcriptione elegimus ordinẽ, vt vbique facilitatis curam gereremus, hoc eſt, vt à dextra tranſitũ faceremus, ab ijs quæ iã ordinata ſunt, ad ea quæ nondum ſub manum venerunt. Hoc autem fiet, ſi borealiora prius quàm auſtraliora deſcribantur, occidentalioraq; antequã orientaliora. Quoniam ad deſcribentiũ oculos, in ſuperiori nobis loco, borealiora conſtituuntur, in dextra vero oriẽtaliora orbis, tam in ſphæra quã in tabula: ac ideo quæ in Europa ſunt, prius collocauimus, quã & nos à Libya, Herculeo diuidemus freto, ab Aſia vero pelago interiacenti, ac Palude Męoti, necnon flumine Tanai, ac eo meridiano, qui ad terrã protenditur incognitã. His reliqua quæ per Libyã ſunt adnectimus, quam etiã ab Aſia diuidimus, poſt maria, quę iuxta Praſſum Aethiopiæ ſunt promontoriũ, vſque ad ſinum Arabicum, ipſo ſinu Arabico ac Iſthmo, qui ab eius ſeceſſu, iuxta Heroum ciuitatẽ ad noſtrũ vſque pertingit mare, Aegyptũq; diſterminat ab Arabia, & Iudæa, ne Aegyptum diſtrahamus, ſi Nilum ſtatuerimus terminum. Et quia cõmodius eſt, continẽtes, cum ita euenit, fretis potius q̃ fluminibus terminari. Reliqua uero quæ per Aſiam ſunt, eodẽ ſubiũgemus propoſito, tã per continentẽ vnumquemque in partibus eius ad terrã totã, quàm orbem uniuerſum, quo ad partes ipſas, hoc eſt, vt iterũ regiones borealiores, & occidentaliores, primo ſcribamus, necnon adiacentia eis maria ac inſulas, cũ ſpecie vniuſcuiuſque digniori, ſed & partes illas prouinciarum, ſeu pręfecturarũ, diſcernemus circũ ſcriptione, expoſitionẽ iuxta promiſſionẽ quàm ab initio fecimus continuantes, ſolum tamen quantũ ad cognitionem localem, & ordinem profuerit, diffuſam circa ſingulares gentiũ mores, hiſtoriã prætermittentes: præterquã ſi ea, de quibus antea nobis ſermo fuit, breui & neceſſaria indiguerint adnotatione. Proinde talis expoſitionis modus, cuilibet facultatem pręſtabit, vt vel unam, ſeu plures prouincias, aut præfecturas deſcribere poſsit, ſecundum quod tabularũ congruerint dimẽſionibus, cũ decenti ratione, & figuratione eorũ quæ ſub vnaquaque tabula comprehendi poſſunt, ad inuicem, iuxta eundem fiendi ordinis modũ. Præterea nil admodum referet, ſi ęquidiſtantibus uſi fuerimus meridianis lineis, rectis quoque parallelorũ, dummodo ſolum partes diſtãtię meridianorum eã rationem ſumant ad diſtãtias parallelorum, quã maximus habet circulus ad illum parallelũ, qui in tabula hac medius erit. His itaque definitis, particularẽ iam inchoabimus expoſitionem.

PROLOGI FINIS.

Hiberniæ Inſulæ ſitus. Cap. II.

Tabula prima Europæ.

SEPTENTRIONALIS *lateris deſcriptio, quod ab hyperboreo Oceano alluitur.*

Boreum Promontorium.	11	.61	0
Vennicnium Promont.	12	50.61	20
Viduæ flu. oſtia	13	.61	
Argitæ flu. oſtia	14	30.61	30
Rogobdium Promont.	16	20.61	30

Occidentale latus incolunt Vennicnij, Deinde reliquum & Orientale Robogdij. Deſcriptio autem lateris Occidentalis, quod ab Occidentali Oceano alluitur.

Poſt Boreum promontorium quod eſt	11	.61	
Rauij flu. oſtia	11	20.61	20
Nagnata vrbs inſignis	11	15.60	15
Libnij flu. oſtia	10	30.60	
Auſobæ flu. oſtia	10	30.59	30
Seni flu. oſtia	9	30.59	30
Dur flu. oſtia	9	40.58	40
Ierni flu. oſtia	8	.58	
Notium promont.	7	40.57	45

Poſt Vennicnios idem habitant latus Erdini, ſub quibus Nagnatę, Deinde Autini.

Poſt quos Gangani

Sub quibus Vellabori

Meridionalis reliqui lateris ſequitur deſcriptio, cui Vergiuius adiacet Oceanus.

Poſt Notium promont.

Dabronæ flu. oſtia	11	15.57	0
Birgi flu. oſtia	12	30.57	30
Hieron vel Sacrum promontorium	14	.57	30

Habitant idem latus poſt Vellabros Vterni, ſupra quos Vodiæ, & qui Orientaliſſimi ſunt Brigantes.

Orientalis lateris deſcriptio, cui adiacet Oceanus, qui vocatur Hibernicus

Hoc ſacrũ promontorium quod eſt	14	.57	30
Modoni flu. oſtia	13	40.58	40
Manapia vrbs	13	30.58	40
Obocæ flu. oſtia	13	12.59	
Eblana ciuitas	14	.59	30
Bubindæ flu. oſtia	14	40.59	40
Iſamnium promont.	15	.60	
Vinderij flu. oſtia	15	.60	15
Logiæ flu.	15	20.60	40

Poſt hæc Robogdium eſt promont.

Idem habitant latus poſt Robogdios Darini. Sub quibus Voluntij. Deinde Blani. Poſt Cauci. Sub quibus Manapij. Poſt Coriondi ſupra Brigantes.

Ciuitates mediterraneæ hæ ſunt.

Regia	13	.60	20
** Rhæba*	12	.59	45
Laberus	13	.59	15
Macolicum	11	30.58	40
Regia altera	11	.59	30
Dunum	12	20.58	45
** Iuernis*	11	.58	10

Hiberniæ ſuperiacẽt quinque Inſulę Ebudę nomine. Quarũ occidẽtalior uocatur

Ebuda	15	.62	

Deinde quæ ad ortum magis extenditur ſimiliter

Ebuda	15	40.62	0
Poſtea Ricina	17	.62	
Poſt Maleos	17	30.62	10
Poſt Epidium	18	30.62	0

Iuxta Orientalem plagam Hibernię, Inſulę hę ſunt.

Monaæda	17	40.61	30
Mona Inſula	15	.57	40
Edri quæ deſerta eſt Andros Plinio.	15	.59	30
Limni quę deſerta eſt Silimnus Plinio.	15	.59	

Al-

Albionis Insulæ Britanniæ situs. Cap. III.

Tabula primæ Europæ.

SEPTENTRIONALIS *lateris descriptio, quod alluit Oceanus, qui vocatur Deucalledonius.*

Nouantum Chersonesus, & eiusdem nominis promontorium.	21	.61	40
Rerigonius sinus	20	30.60	45
Vidogara sinus	21	20.60	30
Clota æstuarium, Glota Tacito.	22	15.59	40
Lelannonius sinus, Lemannonius in antiquo exemplari.	24	.60	
Epidium promont.	23	.60	40
Longi flu. ostia	24	30.60	40
Itys flu. ostia	27	.60	40
Volsas sinus	29	.60	30
Nabæi flu. ostia	30	.60	30
Taruedum quod & Orcas promontorium	31	20.60	15
Occidentalis lateris descriptio quod Iberniens ac Vergiuius alluit Oceanus.			
Post Nouantum Chersonesum quæ habet	21	.61	40
Abrauanni flu. ostia	19	20.61	
Iena æstuarium	19	.60	30
Deuæ flu. ostia	18	.60	
Nouij flu. ostia	18	20.59	30
Ituna æstuarium	18	30.58	45
Moricambe æstuarium	17	30.58	20
Setantiorum portus	17	20.57	45
Belisama æstuarium	17	30.57	20
Seteia æstuarium	17	.57	
Tisobis flu. ost.	15	40.56	20
Ganganorum promont.	15	.56	
Stucciæ flu. ostia	15	20.55	30
Tuerobis flu. ostia	15	30.55	10
Octapitarum promont.	14	20.54	30
Tobij flu. ostia	15	30.54	30
Ratostathybij flu. ostia Vsta, Vsk.	16	30.54	30
Sabriana æstuarium Sabrinam fluuium Cornelius Tacitus lib. 12. alij Sabrinam.	17	20.54	30
Vexalla æstuarium	16	.53	30
Herculis promont.	14	.53	
Antiuestæum promontorium, quod etiam dicitur Bolerium, Belerium Diodoro.	11	30.52	30
Damnonium quod etiã dicitur Ocrinum promont.	12	.51	30
Reliqui Meridionalis lateris descriptio, quod Britannicus Oceanus alluit			
Post Ocrinum promontorium.			
Ceniomis flu. ostia	14	.51	45
Tamari flu. ostia	15	40.52	10
Isacæ flu. ostia	17	.52	20
Alaunij flu. ostia	17	40.52	40
Magnus portus	19	.53	0
Trisantonis flu. ostia	20	20.53	0
Nouus portus	21	.53	30
Cantium promont.	22	.54	
Orientalis deinde ac australis plagæ latera, quæ Germanico alluuntur Occano describuntur.			
Post Taruedum quod & Orcas promõt. quod iam dictum est			
Viruedrum promont.	31	.60	
Veruuium promont.	30	50.59	40
Ileæ flu. ostia	30	.59	40
Ripa alta	29	.59	40
Loxæ flu. ostia	28	30.59	40
Varar æstuarium	27	30.59	30
Tuæsis æstuarium	27	.59	
Celnij flu. ost.	27	.58	45
Taizalum promont.	27	30.58	30
Diuæ flu. ostia	26	.58	40
Taua æstuarium	25	.58	30
Tinæ flu. ostia	24	.58	30
Boderia æstuarium Bodotria Tacito.	22	30.58	45
Alauni flu. ostia	21	40.58	30
GEOGRAPHIA *Græca est dictio, quæ ex duabus constat vocibus, nempe ex* Gea, *quæ Græcis terram significat, & ex* Grapho, *quæ scribo seu describo sonat. Itaque nomen hoc Geographiæ nil aliud significat, quàm terræ descriptionem. Aduertendum tamen est, terram hic non debere accipi sub propria ac stricta sua significatione, scilicet vt vnum est ex quatuor elementis; sed pro terra hic intelligendus est globus terræ & aquæ simul, quem communiter mundum vocamus, qui scilicet ab animantibus habitatur. Est itaque Geographia iuxta nominis deriuationem illa ars seu facultas, quæ describit mundum, vel maiorem portionem eorum, quæ in eo sunt, veluti sunt Prouinciæ, Vrbes, Oppida, Maria, Flumina, Lacus, Montes, Promontoria, & aliæ partes principales ipsius mundi; studendo, vt hæc omnia delineata sint tùm secundum habitudinem, ac positionem, quam adinuicem habent, tùm etiam respectu ęli, vt infra copiosius dicetur.*

Geographiæ diuisio.

OMISSA nunc Geographiæ definitione, quam auctor in primo capite tradit, ad ipsius diuisionem accedemus, dicentes nonnullos esse, qui Geographiam sub Cosmographia reponunt, quæ mundi descriptio vocatur, intelligendo scilicet Cosmogrophiam ortum ducere à Cosmos, quod mundum significat, idest vniuersum ipsum complectens intra se cęlos, ac globum terræ & aquæ cum reliquis elementis; & à Grapho, quod significat describo. Hi siquidem Cosmographiam diuidunt in illam facultatem, quæ propriè Astronomia vocatur, & hęc sanè considerat principia, motus, affectiones, & passiones cœlorum ac stellarum; & in Geographiam, quæ circa terræ descriptionem versatur. Geographiam præterea bipartitam faciunt, vnam accipiunt eam, quæ describit globum terrenum respectu partium magis vniuersalium, ac obseruat ordinem, situmq; locorum inter se, & respectu positionis cœli, & hanc propriè Geographiam vocãt, de qua pertractat hic auctor in præsenti volumine. Altera pars propriè Topographia seu Chorographia appellatur, quæ scilicet versatur in descriptione locorum particularium nullo habito respectu ad partes mundi maiores, & ad loca circumuicina, & de his duabus loquemur ad primum caput primi huius Libri, vbi patebit ex Ptol. earum differentia. Non prætermittam etiam aliquos esse, qui Cosmographiam non intelligunt sub hac ampla & lata significatione, descriptionis scilicet vniuersi: & hi quidem propriam obseruant interpretationem huius vocis Cosmos, quæ ornamentum significat; vnde aiunt Cosmographiam illam esse facultatem, quæ describit & narrat naturas, & proprietates regionum, locorum, & rerum in ipsis contentarum; mores item gentium, ac omnia consideratione digna, quæ diuersis tẽporibus acciderunt nullo habito respectu mensuræ locorum tam inter se, quàm collatione ad cœlum: putant verò Geographiam esse particularem facultatem, quæ agit solummodo de terra, & de hac mundi parte cognita, & habitata respectu dispositionis, distantiarum, & situs cuiuscunque loci tam inter se, quàm comparatione ad cœlum. Quæ profectò distinctio si vera esset Straboris opus ab ipso inscribi debuisset Cosmographia, quia pertractat de qualitatibus locorum, de moribus gentium, & de alijs huiusmodi rebus, quę secundum istos potius Cosmographicæ sunt; nihilominus Strabo edidit suos libros sub nomine Geographiæ.

Geographiæ subiectum.

EST autem ipsius Geographiæ subiectum mundus, idest vniuersitas aquarum, & omnis terra aquis non operta, quæ duo corpora vnam absoluunt superficiem ab hominibus habitatam. Non intelligimus autem, Geographum agere de mundo, & suis partibus, quatenus corpora sunt naturalia, quod sanè ad naturalem Philosophum spectat: sed potius pertractare de superficie terræ & aquæ quatenus variè à viuentibus habitatur, & quatenus refertur ad circulos cœlestis sphęræ: quoniam Geographus vniuersum describit mundum, seu potius partem ipsius cognitam ac habitatam declarando terminos ac fines

fines prouinciarum & insularum, eorumque magnitudines, ambitum maris oceani, aliorumve particularium marium: originem fluminum & fontium ac eorum cursum: lacuum & stagnorum amplitudinem ac situm: vrbium, oppidorum, aliorumque locorum memorabilium situm ac posituram congruam tùm inter se, tùm cęli respectu: si quidem multa sunt, quæ à Geographo considerantur, quorum quædam ad mare pertinent, ad locaque maritima: alia ad terræ partes: alia verò ad flumina, stagna, valles, aliaque aquosa loca, quæ quidem omnia ordine recensebimus ac declarabimus, vt vsui esse possint ad huiusce facultatis intelligentiam.

Mare dicitur congregatio multarum aquarum, & oceano coniunctum est, seu mari magno, sumitque diuersa nomina à diuersis terræ partibus ipsi contiguis.

Oceanus est mare magnum, seu ingens illud pelagus, quod vniuersam circumambit terram: sic dictus ob eius velocitatem, quia magna velocitate per interiora maria discurrit. Habet verò varia nomina à diuersis mundi partibus; nam interdum dicitur Orientalis; interdum Occidentalis, interdum Indicus, interdum Atlanticus.

Littus est illa terræ pars, quæ ab aquis tangitur, & fluctibus maris pulsatur.

Sinus est littus curuum ad sinus similitudinem, quod quasi brachijs mare complectitur ac recipit, vt est sinus Adriaticus, sinus Persicus, sinus Arabicus, & alij huiusmodi.

Fretum est maris brachium angustum inter duas terras, sic ab vndarum fremitu vocatum, & significat mare suapte natura mobile, vt est fretum Gaditanum inter Hispaniam & Africam.

Portus est locus maris conclusus, seu paruus sinus à natura, vel ab hominibus factus adeò profundus, vt tuto recipere possit quodvis altum nauigium, vbi scilicet naues & triremes hyeme stationem faciunt, tanquam in loco tuto.

Insula est terræ pars, quæ vndique mari alluitur, vt Sicilia, Corsica, Cyprus, Creta, & aliæ.

Peninsula vocatur quasi penè insula, quę non ab omni parte à mari circundatur, sed iugo aliquo, seu brachio continenti seu terrę solidę annectitur: Græci autem hanc Chersonesum vocant. Sunt autem peninsulę Peloponnesus, quę Achaiæ coniuncta est; Taurica chersonesus, Cimbrica chersonesus, & alię.

Isthmus est arcta terra inter duo maria, vt est Corinthiacus, quo Peloponnesus Græcię coniungitur.

Promontorium dicitur Montanum, quod conspicua altitudine in mare prominet.

Continens dicitur omnis terra solida seu firma, quæ nec insula, nec peninsula, nec isthmus est; sed tota sibi constat & cohęret.

Regio est terrę pars, quæ à Rege regebatur: nam priusquam Prouincię fierent Regiones, sub regibus erant, ab eisque regebantur.

Regnum dicitur tam Regio ipsa Regi subiecta, quàm ipse dominatus.

Prouincia dicebatur omnis regio longè ab Italia bello acquisita, quod eam Romanus populus prouicerit. Vt plurimum tamen hodie Regio & Prouincia confunduntur, & sine discrimine accipiuntur.

Vrbs est oppidum muris cinctum & continet intra se ędificia ac domus.

Oppidum dicebatur olim omnis vrbs prętер Romam, quę sola per excellentiam

vrbs vocabatur: apud nonnullos tamen vrbes intelligebantur maiora, insignioraque oppida vt Roma, Carthago, & aliæ. Nunc autem vrbes dicuntur apud Christicolas, quę proprium habent Episcopum, vel Archiepiscopum, vel Patriarcham: reliqua vero oppida dicuntur. Vrbium porrò alię sunt Metropolitanę, quæ ceu parentes alias ex se vrbes generant; sunt tamen, qui Metropolim vrbem eam vocent, quę primaria est ipsius Regionis, vel Prouincię. Alię vero sunt Colonię, quę in hunc modum à maioribus ciuitatibus conditę sunt, quando scilicet ab illis mittuntur coloni ad eas inhabitandas.

Emporium est vrbs, vel oppidum nundinarium, vbi gentes ex multis partibus negociationis causa confluunt.

Vicus intra oppidum vel vrbem intelligitur via domorum seriem complectens. Sed extra oppidum vel vrbem vicus idem est quod pagus, vel vt vulgò dicitur villa, & constat quidem vicus multis domibus muro clausis.

Pagus aggregatum est rusticanarum domorum, quę nullis męnibus clausę sunt.

Castellum est paruus vicus muris circundatus.

Villa propriè intelligitur domus extra vrbem: interdum verò capitur pro pago, & vico.

Ciuitas propriè est collecta ciuium multitudo, & societas, moribus, legibusque & institutis gubernata. Plerunque capitur pro oppido & vrbe.

Tugurium est rustica habitatio tecta ex vlna palustri.

Mons est tumor terrę altissimus, ab eminendo dictus, & fere omnes habent sua particularia nomina.

Collis est minor mons, & quasi monticulus.

Vallis est planities terræ inter duos montes conclusa.

Conuallis est planities terrę omni ex parte à montibus collibusve conclusa; sic dicta teste Varrone, quasi cauata vallis.

Campus est magnum ac amplum terræ planę spatium.

Ager significat partem quandam ipsius territorij vrbis, quæ priuatim ab aliquo possidetur: quandoque verò capitur pro ipsomet vrbis territorio.

Territorium est terræ spatium circa vrbem, vel oppidum ad ipsum pertinens, quod colonis relinquitur.

Fons est, vbi aqua è terra scaturit.

Fluuius, vel Flumen, vel Amnis est aqua continuè decurrens, & perennis, quę ab aliquo fonte, vel lacu emanat.

Torrens est fluuius, qui non à fonte vel lacu fit, sed à pluuiatili aqua, vel à niuium liquefactione in valles descendit hyeme presertim, atque estate siccatur.

Palus est aquæ quantitas quasi mortua, quę non decurrit, sed sępe exsiccatur.

Stagnum est, quod temporalem ibi aquam stagnantem habet, quæ plerũque hyeme colligitur, sed estate siccatur.

Lacus est locus profundus cum aquis perpetuis ibidem natis, qui nullum habet in mari exitum, nisi mediante aliquo fluuio, & hic quidem quandoque riuos efficit, & fluuios.

Ostium est fluuiorum patens aditus.

Vtilitas Geographiæ.

QVANTVM Geographia sit vtilis, ac necessaria nemo est, qui ignoret: quoniam nulla est facultas, cui hæc magno ornamento non sit, & cui auxilium non ferat maximum. Primum itaque Historia adeo indiget hac cognitione, vt sine ipsa nullum possit afferre lectori fructum; si quidem Historia nihil aliud est, quàm simplex & sincera narratio eorum, quæ acciderunt: quæ narratio in duobus præcipuè fundatur, nempe in tempore & in loco, vbi aliquis successus contingit. Non potest igitur curiosus lector ex Historia verum haurire sensum, ac intelligentiam, nisi habeat ante oculos aliquam picturam, seu descriptionem Geographicam, vt videre possit situs locorum, quorum in Historia fit mentio. Eadem ratione hęc facultas valde necessaria est etiam Theologiæ, quoniam Theologia abundat historijs permultis sacris, vt videre est in Genesi in Exodo, atque etiam in Epistolis D. Pauli, ac in Actibus Apostolorum, vbi frequenter fit mentio Aegypti, maris rubri, deserti Arabię, & plurium vrbium, ac locorum Europæ, Asiæ, & Africę. Quantum præterea Philosophię sit necessaria, amplam prestant fidem Aristotelis & Platonis volumina, quę in permultis locis obscuritate nimia laborarent absque Geographię intelligentia. Et Strabo quidem in primo suæ Geographię libro refert, primos, qui de hac facultate scripserunt, famosissimos fuisse philosophos. Geographia etiam plurimum Medicinæ conducit, afferendo climatum distinctionem, ac ostendendo locorum varietatem, quorum cognitio ad cognoscendas animalium, stirpiumque varietates ac qualitates iuuat. Quod summè vtilis legali disciplinę sit, ex hoc constare arbitror, quod locus nostrarum actionum sit terra ac mare, vbi habitamus, vt ait Strabo: nisi igitur Geographia distingueret continentes, maria, status, & regiones principum ac priuatorum, notando diligenter eorũ fines ac terminos, omnia quidem confunderentur, nec principes ipsi scire possent, vbi nam eorum dominia extenduntur; sed continuo inter eos contentiones, lites, ac bella versarentur, quod etiam inter priuatos homines contingeret. Astrologię pariter ob motuum cœlestium cognitionem Geographia est adeò necessaria, vt intelligi nequeat absque illa; cum apparentiæ quæcumque cœlestes ad nos referantur, qui secundum varam cœlestis sphęræ posituram in diuersis terræ locis habitamus. Vbi tanta dierum ac noctium varietas accidit, tantaque in ortu ac occasu syderum differentia. Non prætermittam militarem disciplinam, nauigatoriam artem, & mercaturam sine Geographię cognitione mutilas, ac imperfectas esse. Ad hęc quantam afferat delectationem curiosis ad intelligendum varietatem locorum, populorum, animalium, auium, herbarum, & lapidum, atque historiam multarum aliarum rerum mirabilium, quę multis in locis animaduertuntur, cuilibet intelligenti iudicandum relinquo, cum permulti reperiantur, qui curiositate capti diuersis locis peragrarent, sed domi detinentur historia rerum tantummodo contenti, dum eam cognitioni Geographicę consociant. Postremo Geographica hęc facultas Principibus viris adeò necessaria est, vt ipsimet ipsam fundarint mittentes per vniuersum mundum eruditos homines ad varietatem regionum ac locorum explorandam.

Inuentores Geographiæ, & quis fuerit Cl. Ptolemæus huius operis Auctor.

INVENTORES *Geographiæ, ac Cosmographiæ, & qui de his facultatibus scripserunt, fuerunt Philosophi, ac magna eruditione viri, veluti Homerus, qui à Strabone Geographorum princeps cognominatur, Anaximander Milesius, Hecateus Milesius, Democritus, Eudoxus, Dicęarchus, Ephorus, Eratosthenes, Polybius, Posidonius, Strabo, Pomponius Mela, Plinius, Solinus, Marinus Tirius, & inter hos omnes Claudius hic Ptolemæus maiore eruditione, ac pulchriore ordine pręsens conscripsit volumen omnibus alijs pręferendum. Cuius quidem Ptolemæi patria secundum quosdam est Pelusium Aegypti vrbs, quæ posita est ad illius Nili ostium, quod ab vrbe ipsa Pelusiacum vocatur, & olim Eliopolis dicebatur ab Elio scilicet principe, à quo triplici muro percincta fuit, vt Sabellicus confirmat. Castaldus & Zieglerus putant, vrbem hanc vocari hodie* Damiatam; *sed alij hoc negant, affirmantes esse potius* Tenesse, *quibus sanè ego assentior. Idem Ptolemæus vocatur quoque Alexandrinus, non quod vrbs Pelusium parum distet ab Alexandria, vt quidam scribit, siquidem 160. milliaribus abest; sed potius quia in vrbe Alexandria Ptolemęus longo tempore habitauit, atque in ea suas obseruationes fecit. Sunt qui putent, hunc Claudium Ptolemęum ex antiquis Regibus Ptolemęis ortum ducere, vt scribit Vincentius in suo Speculo Historiali, sed hoc minimè verum esse potest, cum temporibus illorum Ptolemęorum Aegypti Regum non floruerit. quod sanè euidenter constat, quoniam Ptol. ipse in hoc Geographico opere multa locorum nomina ponit, quę à Romanis instituta sunt, vt est Iuliopolis, Forum Iulij, Forum Flaminij, Legio Augusta, Forum Tiberij, & alia huiusmodi. Decipitur etiam Suidas dum scribit, hunc auctorem vixisse temporibus Augusti, & Tiberij Imperatorum Romanorum, fuisseque Marci Antonij coętaneum, idest parum ante Christi aduẽtum. Quod profecto verũ esse non potest, quia Ptolemęus scripsit contra Marinum Geographum, qui vixit 60. annis post Christum. Præterea errant etiam illi, qui putant hunc Ptolemęum non fuisse eundem, qui conscripsit Magnam Constructionem, quam vulgò Almaiestum vocant, libros quatuor Apotelesmatum, seu de Iudicijs Astrorum, quos vulgò Quadripartitum appellant, præterea de Musica, Analema, Planisphęrium, de Speculis, & alia, qui quidem floruit circa annum nostræ salutis 140. temporibus Antonini Pij Imperatoris, vt elicitur ex multis obseruationibus motuum cœlestium tunc temporis ab ipso factis, quas refert in sua magna compositione cęlestium motuum. Dicunt autem isti plures extitisse Ptolemęos tàm Aegypti reges, quàm eruditos, ac famosos in literis, vt idem Suida refert, & ad hanc opinionem corroborandam afferunt quandam satis probabilem coniecturam, quam eliciunt à diuersitate longitudinum quorundam locorum. Vt exempli gratia longitudo Romæ notatur in hac Geographia gr. 36. min. 40. & in Almaiesto capite 3. septimi libri prędsupponitur gr. 40. cum dimidio, quando Ptol. ibi facit Romam occidentaliorem Alexandria vna hora cum tertia parte. Vnde si subtrahantur gr. 20. Aequinoctialis respondentes vni horæ cum tertia à gradibus 60. cum dimidio*

longitudinis Alexandriæ, relinquentur gr. 40. & semis pro longitudine Romę. Pariter quoque in alijs locis supponit Ptol. longitudines nonnullarum ciuitatum in Almaiesto, quæ differunt ab illis, quas ponit in Geographia hac. Mihi tamen pro responsione videretur posse dici, quod quãdo Ptol. conscripsit Almaiestum, nondum compilauerat hoc Geographicum opus: vnde tunc supponebat longitudines aliquarum ciuitatum secundum auctorem aliquem famosiorem, & forsan secundum Marinum Tyrium. Quando verò Geographiam conscripsit, maiorem huic negocio adhibuit considerationem, nec aliquẽ particularem auctorem sequi voluit, sed omnium Geographorum opiniones ac diuersitates examinauit, prędsipuè autem Marini, quem ceteris anteponebat, magnifaciens pro hoc negocio distantias itinerarias, quas ex historijs elicuit: atque sic opus perfectũ absoluit, cuius partes optimè adinuicem congruere possent. Prędsterea dico Ptol. non curasse scribere distantias locorum ac eorum longitudines adamussim: Nam in Geographia ipsa, quędam sunt, quę inter se parum consentiunt, quod profectò non ob huius eximij auctoris negligentiam contingit: sed ob materiæ ipsius difficultatem. Exempli causa in tertio libro huius operis ponit longitudinem vrbis Romę graduum 36. min. 40. Postea in octauo libro ait, Romam distare ab Alexandria hora vna cum dimidia, quod nihil aliud est, quam ponere Romam esse in longitudine gr. 38. nam si subducantur grad. 22. cum dimidio, quæ competunt vni horæ cum dimidia à gradibus 60. cum dimidio longitudinis Alexandrię, relinquentur gr. 38. pro longitudine Romę. Posset etiam dici, erroribus Ptol. numeros scatere, essetque satis rationabile, cum tanta conspiciatur diuersitas in his numeris in varijs exemplaribus huius Geographię.

Quod autem Ptol. prius conscripserit Almaiestum, quàm Geographiam, apparet conspicuè in fine secundi libri ipsius Almaiesti in his verbis. Sed negocio iam de angulis absoluto, sequeretur, vt distantias illustrium vrbium secundum longitudinem ac latitudinem ad apparentia computaremus. sed hoc negocium cum per se præcipuum sit, & Geographicæ rationi connectatur, solum id atque seorsum ante oculos ponemus, in quo sequemur eos, qui quã maximè possibile sit, hoc genus historiæ tradiderunt, ascribemusque quot gradibus illustres singulæ vrbes secundum meridianum per eas descriptum distant ab Aequinoctiali, & quot gradibus meridianus singularum vrbium ad ortum vel occasum in Aequinoctiali distat à meridiano, qui per Alexandriam designatur. Ad hunc enim nobis computationum accõmodata tempora sunt. *Quod igitur hic promittit Ptol. perfecit egregiè in hac sua Geographia, ponendo longitudines, & latitudines omnium vrbium, ac locorum, & in octauo libro notat quidem distantias meridianorum illustrium ciuitatum à meridiano Alexandrię, quas distantias ex Ptol. decerptas prefiximus nos tabulis antiquis ipsius Ptol. Aliud fundamentum habent, qui negant Ptol. Auctorem huius Geographię non fuisse eundem, qui compilauit Almaiestum: sed ipsum multo post tempore floruisse. Quod eliciunt ex octauo capite primi libri huius Geographię, in quo auctor mentionem facit Iulij Materni, quando ait, Iulium Maternum à Lepti magna mensibus quatuor ad Agyssimbam Aethiopum regionem applicuisse. Si igitur hic fuit ille Iulius Maternus, qui scripsit de Astrorum iudicijs ad Lollianum, & qui tempore Flauij Constantini Imperatoris floruit circa annum Domini 320. vt constat ex prefatione*

fatione primi ipsius libri, vbi memorat prædictum Imperatorem tunc temporis regnantem; nulli dubium est, auctorem huius operis Geographici fuisse multo post illum Ptolemæum, qui scripsit Almaiestum temporibus Antonini Pij, hoc est circa annum Domini 150. Sed responderi potest, fuisse potius duos Iulios Maternos, quàm duos Ptolemæos: presertim cum hoc qui scripsit de Iudicijs nominetur Iulius Firmicus Maternus iunior, idest posterior illo altero: quinetiam hic ipse Maternus sæpe Ptolemæi mentionem facit, hoc est in præfatione secundi libri, in cap. 32. & alibi etiam. His addo Ptolemæum in Geographia & in Almaiesto eandem supponere maximam solis declinationem vt pote gr. 23. min. 50. quinetiam in Geographia eandem seruat methodum in colligendis lateribus triangulorum, & angulorum magnitudinem, quam in Almaiesto sequitur, vt patet in vltimo capite primi huius libri. Sed quorsum tempus contero in comprobatione huius veritatis rationibus probabilibus ac coniecturis, si ipsemet auctor octauo libro huius Geographię confirmat apertè se conscripsisse Almaiestum vel magnam compositionem? dum ait. Verum cum in Mathematica compositione ostenderimus, quod & fixarum sphęra incidit in sequentia mundi circa tropica, & Aequinoctialia signa, & haudquaquam circa Aequinoctiales polos: sed circa eos, qui in medio sunt circuli per zodiacum, quemadmodum & errantium. *Quod sanè fecit in tertio capite septimi libri Almaiesti: quamobrem puto neminem de re hac amplius dubitare.*

Quod postremo is auctor conscripserit etiam quatuor libros de Astrorum iudicijs, patet ex capite septimo, secundi libri Quadripartiti, vbi citat octauum librum magnæ compositionis. Et hęc sufficiant pro presenti capite.

Auctoris intentio.

Restat tandem, vt dicamus, scopum seu intentionem huius auctoris in hoc opere fuisse non solum ante oculos ponere veram posituram omnium partium terrę habitatæ cum debitis distantijs & sitibus, pro ut omnes regiones & loca adinuicem seruant; verum etiam instruere studiosum, vt firmis rationibus, ac regulis denuo absoluere possit descriptionem vniuersalem vel particularem totius orbis, vel cuiuslibet partis ipsius. Nunc autem ad contextus explicationem accedamus.

IN

IN PRIMVM CAPVT PRIMI LIBRI ANNOTATIONES.

In quo differat Geographia à Chorographia.

Eographia imitatio est picturæ totius partis terræ cognitę &c. *Proponit primo auctor in huius capitis initio ipsius Geographię definitionem dicens, Geographiam esse imitationem picturæ totius partis terræ cognitæ, cũ ijs quæ sibi quasi vniuersaliter sunt annexa. Et dicit quidem imitationem picturæ, non autem picturam, quia pictura propriè est, quæ exprimit, & repræsentat sub oculis nostris omnes partes rei, à qua desumpta est: Geographia autem nõ ponit huiusmodi picturam omnium partium terrę cognitæ, verum quidem describit vel in plano vel in globo omnia loca & partes principaliores, notando illa punctis quibusdam, seu circulis, aut alijs huiusmodi signis, apud quæ scribit nomina illorum locorum, fluminum, lacuum, & montium, quæ talibus signis repræsentantur; studens tamen, vt hæc signa obtineant easdem distãtias, situs, & positiones tam inter se, quã respectu cœli, quas habent illamet loca terræ, quæ talibus signis figurantur. Præterea aduertendum est, auctorem dicere totius partis terræ cognitæ, non autem absolutè vniuersi mundi, quia temporibus illius tota terra cognita non erat; sed solummodo propè quarta pars, quæ continet gra. 80. secundum latitudinem, & gra. 180. secundum longitudinem, vt videre est in eius vniuersali descriptione: quinimo nec tẽporibus nostris totus mundus exploratus est, quàmuis post Ptolemęum multo maior portio detecta sit nauigationibus & peregrinationibus solertissimorũ hominum. Per partem etiam terræ cognitæ intelligere debemus non simplicem terram, sed simul flumina, maria, aliasve aquas, quæ terram irrigant, & circumambiunt.*

Differt autem à Chorographia, &c. *Diximus Geographiam non curare describere exacte omnes res minimas ac particulares, quæ in terra sunt, easque oculis nostris ad earum similitudinem repræsentare, quoniam hoc attinet ad aliam facultatem, quę dicitur Chorographia, quę vox deriuatur à Choros vel chora, quæ significat locum vel regionem, & à verbo grapho, quod describere significat. Vnde tantum valet dicere Chorographiam, quantum descriptionem loci vel regionis, idest vnius vrbis particularis, vel vnius territorij particularis, in qua notantur omnia oppida, pagi, montes, fluuij, lacus, & alia quæuis minima. Et hæc ipsa facultas ab alijs vocatur Topographia, quæ vox idem, quod supra significat, quia Topos, locus interpretatur. Sunt tamen, qui hoc discrimen inter vtrãque ponant, vt Chorographia versetur circa descriptionem linearem loci particularis, Topographia vero eundem locum verbis tantummodo, non autem signis describat. Differt igitur Geographia à Chorographia primum in hoc, quod Geographus describit totam terram cognitam secundum debitam quantitatem, proportionem, & dispositionem,*

tionem, quam habent partes principales illius tàm inter se, quàm respectu formę totius terrę, & hęc facultas complectitur solummodo principaliora, veluti sunt sinus, promontoria, vrbes, nationes, populi, fluuij celebriores, stagna, lacus magni, montes celebriores, & omnia illa, quæ in suo genere prącipua sunt, & notabiliora. Sed Chorographus describit separatim omnes partes considerando quąuis minima, quæ sunt in illis, vt sunt montes magni, & parui, fluuij, torrentes, riuuli, oppida, vici, pagi, & talia, nullo habito respectu ad circumuicina loca, nec conferendo ea cũ vniuersæ terræ ambitu. Et hanc differentiam ostendit clarè Ptolemęus exemplo artis pictorum: nam volens pictor designare & representare oculis nostris integrum caput animalis, designabit primum lineamentis membra ipsius maiora & principaliora, vt sunt oculi, aures, nasus, os, frons, & alia huiusmodi, studens, vt vnumquodque ad aliud habeat debitam proportionem ac relationem, nec curabit forsan notare minima in vnoquoque illorum mẽbrorum, quia nõ habebit locum competentem, vt hoc facere possit. Sed si idem pictor vellet pingere oculum tantummodo, vel aurem, poterit eam commodè adeo magnam delineare, vt exprimere possit in illa omnem lineam, & quamuis minimum signum coloribus & adumbramentis conuenientibus, perinde ac si esset naturalis; quia hic non curat eam ita facere, vt correspondeat in magnitudine alijs partibus, & integro capiti. Ita pariter accidit Geographo, qui volens delineare partem aliquam terræ, vt exempli gratia Italiam vel in globo vniuersali totius mundi, vel in tabula seu charta separatim, faceret illam omni ex parte aquis circundatam præterquã ab occasu vbi Germaniæ & Francię coniuncta est, & designaret illam cum extremitatibus sub forma ferè humani cruris cum femore; notando in illa punctis, vel alijs signis maiorem locorum partem, & vrbium principalium, quæ in illa forma cadere poterunt. Sed Chorographus postea sumet quamuis locum principalem, vt verbi causa Patauium cum suo territorio, & designationem absoluet similem naturali, quantum magis possibile erit, adumbrando debitis coloribus omnia loca, vt oppida, arces, villas, fluuia, montes, colles, nemora, & quicquid notatu dignum videbitur: nec in tali designatione vllam consideationem habebit aliarum ciuitatum, vel locorum principalium Italiq, vel vniuersę terræ.

Versatur autem Chorographia vt plurimum circa quale &c. *Assignat hic Ptolemęus secundam differentiã quę est inter Chorographiam & Geographiam dicens: Chorographũ versari in descriptione qualitatis loci, & rerum accidentaliũ, quę ibi sunt, idest describendo quę pars sit culta, quę inculta, vbi sint arbores, vites, an terra sit arenosa, crassa, humida, saxosa, & talia. Geographus vero cõsiderat quantitatẽ magis ob mensuram scilicet & distantias quæ habent loca taminter se, quàm in comparatione vniuersæ terræ, & pariter etiam in comparatione ad cœlum, perpendendo sub quo parallelo, sub quo meridiano ponatur quilibet locus, præterea considerat etiam quodammodo qualitatem idest figuram terræ, & cuiuslibet partis ipsius.*

Vnde illa quidem locorum eget pictura, &c. *Tertia differentia inter has duas facultat es est, quod Geographia nihil indiget arte pingendi, Chorographiæ vero adeò hæc ars necessaria est, vt nemo possit describere vrbes similes naturali in forma & figura nisi fuerit pictor. Vnde cum Geographia versetur circa delineamenta, & signa, videtur habere magnam conformitatem cum arte illa, quam Græci Ichnographiam*

graphiam vocant, quę versatur circa prima lineamenta alicuius ędificij vel alterius rei in superficie aliqua facta, & hęc inuenta fuit, vt haberetur collocatio partium, & longitudo ac latitudo ędificij vel alterius operis. Ita pariter Chorographia assimilatur arti illi, quæ Grącis Sciographia vocatur, vel Scenographia, & hęc vmbris & continua symmetria vel proportione proponit ante oculos formam cuiuscunque rei, tam planæ quàm eleuatæ, & est illa ars, qua delineatur ager, vrbs, domus & similia.

Quapropter illa quidem haudquaquã mathematico indiget instituto &c. *Quarta & vltima differentia inter Chorographiam & Geographiam est. Quod huic necessaria est mathematicarum cognitio, vt clarè ostendit Ptolemęus: illa vero mathematicis non indiget. Et hic Ptol. intelligit nomine mathematicarum Geometriam, Arithmeticam, & Astronomiam, quæ omnes valdè Geographię conducunt, nulla ratione habita perspectiuę, quæ magnum solet præstare auxilium arti pingendi, & consequenter necessaria eßet Chorographiæ, quando non inuenirentur excellentes pictores, qui sola praxi absque vllo perspectiuę fundamento facerent pulcherrima opera naturę simillima, qui tamen si perspectiuę regulas, & theoricam possiderent, eorum opera facilius, & citius absoluerent. Quod igitur Geographię neceßaria sit Mathematica affert rationem Ptol. dicens, Geographum considerare debere formam vel figuram terrę, magnitudinem ipsius, quomodo situetur quilibet locus respectu cęli, idest in quo climate ponatur, sub quo parallelo, & cui meridiano subijciatur: prąterea quanta sit magnitudo maximi diei artificialis & maximę noctis illius loci: quę sint stellæ fixę, quę fiunt verticales, idest quę transeunt per zenith capitis habitantium in illo loco: quę sint eę, quæ oriuntur & occidunt in dicto loco, quę omnia valde diuersificantur secundum varietatem locorum terræ, & tractantur quidem à Mathematico & Astronomo, à quo desumit ea Geographus tanquam vera, & demonstrationibus validis confirmata.*

Quæ cuncta subtilissimæ ac pulcherrimæ sunt speculationis &c. *Decipitur hic Ruscellius hunc locum exponens, quando putat, Ptolemęum dicere Geographiam auxilio mathematicarum notificare stellas fixas verticales, & quę continuo circunferuntur supra & infra caput, & malè hunc locum Italice vertit. Cum itaque Ptol. dixerit supra Geographiam indigere mathematicis ad explorãdum situm, & positionem cuiuslibet loci terrę respectu circulorum cęlestium, atque etiam ad cognoscendum quantitatem dierum, & noctium artificialium, quæ in illo loco contingunt, & quæ stellę fixę incedant per verticem capitis & quæ oriantur & occidant: confirmat hic, talia altissimæ & pulcherrimę speculationis esse, & quod humanis cõsiderationibus, idest obseruationibus & rationibus mathematicis demonstrari potest, quomodo naturaliter maneat cœlum, nempe ipsum esse figurę sphęricę, ipsum circumuolui quotidie ab oriente in occidentem, atque ipsum habere in sui medio terram tanquam centrum. Et reddit rationem, cur hęc de cęlo ostendi possint, dicens ipsum à nobis maiore ex parte videri posse, & quidem maiore ex parte quia nullibi terrarum potest videri integrum cœlum præterquàm in locis Aequatori subiectis, vbi oriuntur & occidũt omnes stellę cum poli mundi in horizonte iaceant. In quocumque alio loco terrę vbi poli mundi incidunt extra horizontem, idest vbi vnus eleuatur, alter deprimitur, remanet semper vna pars cœli occultata, quę nunquam*

videri potest, & est illa, quæ comprehenditur intra circulum parallelum Æquatori, qui tangit horizontem, & continet polum mundi occultatum. Probatur igitur ab eodem Ptol. in secundo capite primi libri magnæ compositionis non solum motus cœli ab ortu in occasum ex motu stellarum fixarum, sed etiam eius forma rotunda. Quo ad terram vero ait Ptolemęus nos non posse de ipsa certitudinem aliquam habere, quia non est possibile videre ipsam totam simul nec maiore ex parte manendo in vno tantum loco velut fit de cœlo, cum ipsa nos non ambiat vt cœlum: nec minus possibile est vniuersam terram posse circumambi ab eisdem hominibus omni ex parte, vt inuestigari possit eius longitudo ac latitudo. Benè verum est posse cognosci rotunditatem suam, & magnitudinem suam ab apparentijs, quæ in cœlo fiunt, velut Ptol. facit in 3. capite primi libri magnæ constructionis, vbi demonstrat terram esse figuræ sphæricæ, & in quarto concludit ipsam sitam esse in medio vniuersi. in quinto autem ostendit terram esse instar puncti ad immensitatem cœli collatam. Pariter quoque in sexto, capite conuincit terrã quiescere in medio vniuersi. Tandem vt finem huic capiti imponam, non præteribo dicere, Ptolemæum non absque ratione dixisse cognitionem stellarum fixarum verticalium, ac illarum, quæ oriuntur, & occidunt in omni loco altissimam esse & pulcherrimam, quia admodum curiosa est, ac necessaria ad auræ mutationes perdiscendas, & cognoscendas, & calamitates, quæ in quolibet loco occurrunt, vt sunt pluuiæ, grandines, niues, venti, tonitrua, aquarum inundationes, annona, famis, pestis, terręmotus, mortalitas gentium, & similia, quę omnia pendent, vt plurimum à varijs congressibus planetarum inter se, & cum stellis fixis, atque à diuersitate ortuum & occasuum stellarum fixarum. Quantum valeant stellæ verticales cognosci potest ex capite decimo, supplementi Almanach Cardani, & à capite quarto, tabularum Bergensium Ioannis Stadij, nam vt illę quæ semel in die euadunt perpendiculares illi ciuitati, vel loco, magnam habent vim & familiaritatem in illo loco, vt exempli gratia caput Gorgonis, seu meduse, quæ est stella posita in gr. 21. Tauri cum latitudine gr. 23. Boreali, sit verticalis hoc tempore Toleti & Neapolis, quando igitur Saturnus, qui est planeta suapte natura frigidus transit per medium cœli simul cum dicta stella ann. 1559. causauit illis in locis gelidam hyemem, ac asperrimam, vt narrat Stadius, quamuis alibi satis clemens, ac placida esset.

In caput secundum.

QVIS igitur finis sit eius qui Geographiam exercere velit, &c. *Vult hic Ptolemæus Geographiam habere sua principia & fundamenta, à quibus oritur & stabilitur, sine quibus nullo modo facere possit, inter quę principalius est Historia itinerum, quę facta sint ab vno, vel pluribus hominibus peritis in scientia speculatiua, qui obseruarint multa loca terrestria & maritima nihil prętermittendo quod possit huic descriptioni orbis conducere, subdit postea idem auctor, hanc historiam cognitionis locorum posse absolui duobus modis ab illis qui orbem peragrarunt vel Geometricè, vel Astronomicè. Geometrica cognitio pendet à dimensione distantiarum, quas loca adinuicem habent obseruando prętereа positionem locorum ac situm. Quæ mensura Geometrica sit mate-*

materialiter vel manualiter idest perticis, aut chordis, aut passibus determinatæ & exactæ quantitatis: vel etiam mensuris temporis veluti esset si consideraretur ite quod absoluere potest homo pedestri itinere in tot horis, vel equus cum prius exploratum sit iter ipsius ad horę spatium, vel dimidię horę, metiẽdo postmodum dictum iter aliqua pertica vel fune. Vel etiam considerando iter, quod conficere potest nauis in tanto tempore habito tamen respectu velocitatis nauis, virium ventorum, & motus aquæ. Pro locorum autem positione aut situ intelligendus est ille ventus, vel illa mundi pars versus quam vnus locus respectu alterius inclinat: namque imaginandum est, primum locum, ad quem aliorum fit collatio, esse veluti centrum circuli, in cuius circunferentia signatæ sint partes principales, seu plagæ mundi, nimirum oriens, occidens, septentrio, & meridies; vel venti principales, qui sunt duodecim secundum antiquos, vt in hac in Tabella apparet.



Vnde discendendo ab illo primo loco, & progrediendo ad alium oportebit illum alium locum reperiri vel pręcisè in recta linea vnius harum plagarum mundi, vel vnius venti principalis: vel saltem recedet ab ipsa tot gradus, vtpote decem, duodecim, siue plus aut minus. Quicunque igitur describere voluerit aliquam regionem.

nem Geometricè opus est non tantũ, vt sumat exactè interualla, quæ sunt inter loca de scribenda iuxta numerum stadiorũ vel milliarium, sed etiã vt respiciat versus quam mundi partem, vel ventum vnus locus respectu alterius iaceat, quod sanè fieri nequit nisi explorata prius linea meridiana aliqua ratione, vt Ptolemæus dicit. Hic modus describendi regiones tractatur à nobis in 2. 3. & 4. propositione quarti libri de vsu Quadrantis & Quadrati Geometrici, ad quem locum remittimus curiosos, qui auxilio dictorum instrumentorum describere vellent regiones. Non ignoramus tamen posse describi aliquã regionem sumptis solis distantijs, quæ inter loca sunt absque consideratione situs illorum respectu partium mundi, sicut etiam in prædictis capitibus docemus. Sed huiusmodi descriptio parum vtilis foret, quia nullam haberet similitudinem cum locis terræ, quæ repræsentare deberet, etenim quamuis esset proportionata illis respectu distantiarum, non tamen loca responderent suis veris sitibus mundi, nec sciremus vtrum vnus locus sit altero orientalior, vel occidentalior, vel septentrionalior, vel meridionalior. Præterea fieri potest alicuius regionis descriptio non solum sine cognitione partium mundi, sed etiam absque mensuratione distantiæ locorum, quemadmodum docemus in quinta propositione, quarti libri de dimetiendi ratione per Quadrantem &c. & huiusmodi descriptio similis erit naturali, quia omnia illa loca notata illammet habitudinem, & proportionem adinuicem seruabunt, quam habent vera loca: nihilominus talis labor parum vtilis erit Geographię, quia nunquam sciemus, quanta sit distantia inter duo loca, nec minus verum situm vnius loci respectu alterius, atque hic modus seruiet potius ad describendum aliquod particulare territorium vrbis vel oppidi. Altera cognitio Astronomica vel modus describendi regiones Astronomicè solet vocari Meteoroscopicus, quia vtitur instrumentis Meteoroscopicis, vt sunt Quadrans, Quadratum, Astrolabium, Armillę, Torquetum, & alia similia, quibus capiuntur altitudines solis & stellarum & obseruantur apparentię cœlestes, & opus est, secundum hanc viam inuenire locorum longitudinem, idest distantiam meridiani, qui ducitur per quemlibet locum ab illo meridiano, qui ducitur per insulas Canarias, à quo incipit numeratio longitudinis terrę, secundum Ptol. & maiorem Geographorum partem, atque etiam altitudo poli, seu latitudo loci, idest quantum verticale punctum vnius loci distet ab Aequinoctiali circulo, seu quantum eleuetur polus mundi apparens supra horizontem talis loci, quod idem est, vt suo loco dicemus, & docebimus etiam quomodo obseruari possit longitudo ciuitatum & locorum, & quomodo exploranda sit poli altitudo.

Primum enim cum necessarium existat, vt supponatur secundum utrumque modum &c. Supra diximus, non sufficere scire distantias, quas habent loca adinuicem, sed conuenit etiam scire versus quam mundi partem vnus locus inclinat respectu alterius, & hoc necesse est fieri tam in via Geometrica quam in Meteoroscopica. Et ad hoc oportet inuenire instrumentis iam dictis, lineam meridianam, cuius inuentio traditur à nobis in prima propositione quinti libri nostri de vsu Quadrantis & Quadrati, quoniam cum habebimus prędictam lineam meridianam, illico cognoscemus omnes mundi partes vel ventos, quia linea meridiana ostendit ab vna parte meridiem, & ab alia septentrionem, & si intersecabitur dicta linea meridiana ab alia linea ad angulos rectos hæc alia linea ostendet ab vna parte orientalem

talem plagam, & ab alia occidentalem. Non prętermittam etiam dicere, quod quamuis Ptolemæus dicat, in via Geometrica omnino oportere vti instrumentis meteoroscopicis ad inueniendam lineam meridianam, & ope illius postmodum aliàs mundi partes, nihilominus nostris temporibus possumus satis commodè absque aliquo instrumento sola pyxide magnetica habere talem lineam meridianam, & reliquas mundi partes, vt notum est illis, qui pyxide nautica vti sciunt. Aduertendum etiam est Ptolemęum intelligere hic per particulares inclinationes, gradus vel partes circuli, quibus remouetur aliquis locus à linea vnius partis vel plagę mundi, quia non sufficit dicere, hæc vrbs respicit versus Leuantem, vel versus Ponentem, cum paucæ sint, quæ precisè has partes respiciant, sed plerumque declinant, vel in vnam partem, vel in aliam à dicta linea: vnde conuenientius est scire quot partes, vel gradus dicta loca recedunt à dictis partibus principalibus: scire autem conuenit Geographos, & Astronomos consueuisse integrum circulum in 360 gradus diuidere, atque 90 gradus à qualibet plaga dinumerare ad aliam. Si autem hæc consideratio facienda est respectu octo ventorum principalium computabuntur gra. 45 ab vno vento ad alium. Itaque quando voluerimus describere veram inclinationem vnius loci respectu alterius, dicemus exempli gratia, ipsum recedere tot gradus à Septentrione vel ab alia plaga: aut etiam à Magistro, vel à Scirocco vel ab alio vento quemadmodum ex obseruatione cognitum fuerit.

Vbi postea Ptol. subdit, mensuram Geometricam locorum, quę sit penes stadia, parum tutam esse pro habenda vera distantia locorum adinuicem, aperte concludere videtur, viam Geometricam esse in se admodum imperfectam, cum exacta itinera tam terrestria quàm maritima, per mensurationem nunquam haberi possint ob tortuositatem, & flexibilitatem ipsorum, vnde necessaria est semper in illis quędam correctio, quæ fit iudicio demendo, scilicet seu subtrahendo à tali mensuratione illam quantitatem, quam augere potest in prædicta distantia tortuositas, & inęqualitas itineris. Intelligendum tamen est, talem viam Geometricam esse parum tutam pro habenda vera mensura distantiarum, quæ inuenirentur à loco ad locum, quando non adesset impedimentum, sed incedere posset per directum iter, & scire etiam quanta sit dicta mensuratio proportione ad cœlum: verum satis commodè deseruit ob quotidianum vsum, idest pro cognitione itinerum & distantiarum locorum, vt scire possit quantum temporis absoluatur progrediendo à loco ad locum.

Quantum præterea attinet ad nauigationem, quamuis secundum Ptolemęum difficile sit posse indagare longitudinem itineris ob inęqualem nauis motum, qui à ventis pendet, qui modo debiles sunt modo validi, nihilominus reperti sunt ingeniosi quidam viri, qui mensurare sciuerunt iter, quod quouis tempore nauis absoluit, tametsi moueatur interdum velocius, interdum tardius. Quinetiam Vitruuius docet pulcherrimum modum in capite 14 decimi libri suæ architecturæ aliquibus rotis, quę moueri debeant ad motum nauis, numerando reuolutiones ipsarum rotarum, quoniam hę rotæ optimè ostendunt quantitatem itineris: nec refert vtrum nauis moueatur nunc velociter nunc tardè, quia ita etiam mouebuntur rotę.

Remanet dicendum circa hunc locum, Ptolemęum hic & alibi vti semper in mensura terræ stadijs, quę mensura est Grecorum, constatque stadium ex passibus 125 vt ait columella in primo capite quinti libri, idest pedum 600, nam passus est

est sex pedum. Milliare autem (quę mensura hodie communiter in vsu est) octo complectitur stadia, idest mille paßus, vel 5000. Romanos pedes, loquendo nimirum de milliaribus latinis & nostris Italicis; nam datur etiam milliare Germanicum quadruplo maius Italico.

Insuper licet distantia quædam inter duo loca emensa &c. *Facit comparationem Ptolemęus hoc in loco inter has duas vias seu modos describendi terram, nempe Geometricum & Meteoroscopicum, & anteponit modum Meteoroscopicum alteri modo ob vtilitatem & certitudinem illius: quoniam mediante hac via, quę vtitur instrumentis Meteoroscopicis, haberi potest directa & exacta distantia, quæ est inter duo loca. Quæ quidem secundum viam Geometricam haberi nequit, vt superius diximus. Præterea etiam cognosci potest situs cuiuscunque loci respectu ęquinoctialis, & polorum mundi, qui secundum viam Geometricam nisi largo modo sciri posset. Tandem secundum viam Geometricam non poßumus indagare ambitum totius terræ: sed tantum secundum viam Meteoroscopicam, vt infra dicemus.*

Sufficit etiam supponere ambitum telluris in partes quotquot contulerimus, &c. *Ptol. hic & alibi supponit, distantias inter duo loca debere accipi secundum maximum circulum terrestrem, qui per dicta duo loca transit: ratio autem est, quoniam huiusmodi distantia breuior est quacunque alia, quæ sumi posset inter eadem duo loca secundum alium minorem circulum. Quod quidem nunc demonstrare intendimus. Sint in terræ superficie duo loca B, & C, per quæ duo transeant circuli, nempe maior H B C M, & minor B D C I. Dico igitur breuius iter inter duo dicta loca confici per maiorem circulum H B C M, quàm per minorem circulum B D C I, Sumatur centrum minoris circuli B D C I, ex prima tertij Elementorum Eucl. quod sit A. à quo per puntum B ducatur recta A B F ęqualis semidiametro maioris circuli H B C M, & centro eodem A, interuallo verò A F alius describatur circulus H F M L, qui ęqualis erit maiori circulo H B C M ex prima def. tertij Elem. Eucl. cum horum amborum circulorum semidiametri sint ex constructione æquales. Deinde alia recta linea à cẽtro A per punctum C ducatur vsque ad G punctum circuli H F M L. Ducantur postremo duæ aliæ rectæ F G, B C. Quoniam igitur tres anguli trianguli A B C æquales sunt ex 32 primi Elem. Euclidis tribus angulis trianguli A F G, si tollatur communis angulus ad A, relinquentur duo anguli A B C, A C B æquales duobus angulis A F G, A G F. sunt autem tàm duo anguli A F G, A G F, quam duo anguli A B C, A C B inter se æquales ex quinta primi Eucl. ob æqualitatem tàm linearum A F, A G, quàm linearum A B, A C. Quare prædicta triangula erunt æquiangula, & per 4 sexti Eucl. lateribus proportionalia. Vnde recta A F*



eandem

eandem habebit rationem ad rectam A B, quam habet recta F G ad rectam B C. Sed quam rationem habet recta A F ad rectam A B, eandem habet integra circunferentia H F M L ad integram circunferentiam B D C I, cum circuli inter se eandem habeant rationem, quam eorum diametri vel eorum semidiametri, vt demonstratur à Pappo Alexandrino prop. 22. octaui libri, igitur ex vndecima quinti Euclidis circunferentia H F M L eandem habebit rationem ad circunferentiam B C D I, quam habet recta F G ad rectam B C. Præterea quoniam duo arcus F K G, B D C referuntur ad eundem angulum ad A, erunt ex vltima def. tertij Elem. Eucl. inter se similes: quocirca proportio arcus F K G ad integrum suum circulum H F M L eadem erit, quæ arcus B D C ad integrum suum circulum B D C I, & consequenter proportio rectę F G ad rectam B C erit eadem, quæ arcus F K G ad arcum B D C. Cum verò circuli H F M L, & H B C M sint adinuicem æquales, vt supra diximus, & linea F G sit maior quàm linea B C, erit etiam arcus F K G maior arcu B E C ex 28. tertij Elem. Quare per sextam prop. sinuum Peurbachij, vel per septimam primi libri Epitomatis Regiomontani super Almaiestum erit maior proportio arcus F K G ad arcum B E C, quam proportio subtensæ F G maioris circuli ad subtensam B C minoris. Et quia, vt supra fuit ostensum, proportio lineæ F G ad B C lineam eadem est, quæ arcus F K G ad arcum B D C; idcirco dictus arcus F K G maiorem habebit proportionem ad arcum B E C, quàm ad arcum B D C. Quare per secundam partem decimæ quinti Elem. Eucl. circunferentia B E C minor erit quàm circunferentia B D C, sed dictus arcus seu circunferẽtia B E C est maioris circuli per duo loca terræ B, & C transeuntis, igitur breuius iter, quod à loco ad locum confici potest, fiet iuxta circunferentiam maioris circuli pr dicta loca incedentis. Quod erat demonstrandum.

Porrò sciendum est, Geographos distribuere maiorẽ circulum terrestrem in 360. gradus, quemadmodum etiam cęlestis quilibet maximus circulus distribuitur. Vnde hac ratione dicetur, tantam esse distantiam inter duo loca, quot sunt gradus maioris circuli terrestris inter dicta duo loca intercepti. Sed hæc diuisio non confert ad habendum interuallum inter duo loca secundum stadiorum vel milliariorum computationem, quibus itinera metimur; nisi primum inuenerimus, quot milliaria, vel stadia maximus terrestris circulus contineat, metiendo scilicet distantiam aliquam directam secundum maiorem circulum acceptam, qui in terræ superficie describitur, & huius quidem sumendo rationem ad maximum cœlestem circulum, vt in sequenti capite fusius tradetur.

Cum enim ex Mathematicis præsupponatur, continuam & terræ & maris superficiem &c. *Non possumus circa ambitus totius terræ mensuram quicquam dicere, nec minus circa interualla, aut distantias locorum particularium inter se, nisi prius cognoscatur, cuius nam figuræ seu formæ sit terra cum aqua sibi annexa. Quamobrem duo hic Ptolemæus supponit, hoc est terram cum aqua in modum globi formari, cuius superficies continua est ad instar sphæricæ superficiei: deinde hunc globum terræ & aquæ idem centrum possidere cum cœlo ipso. Quæ duo ab eodem Ptol. probata ac demonstrata satis sunt in primo lib. Magnæ ipsius compositionis seu Almaesti, vt non esset ipsi opus ea hic denuo repetere. Post Ptol. Theon quoque Alexandrinus easdem conclusiones demonstrationibus Geometricis con-*

 firmat

firmat in comm. primi libri eiusdem Ptolemæi. similiter etiam ad terræ & aquæ rotunditatem comprobandam quædam affert Plinius argumenta efficacia in secundo libro de cœlo & mundo à cap 64. vsque ad cap. 72. Et idem quoque probat cap. 69. eiusdem libri terram obtinere medium vniuersi locum. Præterea apud Io. de sacro bosco in suo opusculo de sphæra, & eius commentatores hęc diffusè satis pertractantur, ad quos auctores lectorem remittimus: hoc tamen aduertentes, quod quando dicimus, globum terræ & aquæ esse rotundum, non debemus intelligere, ipsum esse perfectè rotundum, quemadmodum est cœlum, vel aliquis globus torno fabrefactus; si quidem montium altitudines, vallium profunditates, & camporum planities, quæ in superficie terræ sunt, inæqualem re vera ipsius terrestris globi superficiem respectu nostri reddunt; nihilominus hæc omnia ad immensitatem terræ collata nihil impediunt, quominus talis terræ, & aquæ globus rotundus sit, ac talis appareat secundum cœlestes apparentias: etenim rectæ lineæ omnes, quæ educerentur à centro terræ ad quamlibet partem superficiei ipsius, eßent penè æquales, insensibiliterque inter se different. Quinimo nec neceßaria erat exacta sphęrica superficies terræ, quemadmodum est ipsius cœli, quia terra persistit, & cœlum continuo circa eam assiduè mouetur. Quod autem si superficies terræ intersecetur, vt ait Ptolemæus, ab aliquo plano per centrum terreni globi ducto, linea, quæ fit in superficie ipsius terræ in communi intersecatione, sit circuli maioris circunferentia, demonstratur à Theodosio Tripolita in prima prop. primi sphæricorum.

Præterea ait etiam Ptol. quod si in dicto plano intersecante globum terræ ductæ fuerint à centro duæ lineæ vsque ad concauam cœli superficiem, hæ quidem lineæ comprehendent duos similes arcus inter se, quorum vnus erit cœlestis circuli, alius terrestris, & quilibet istorum habebit ad integrum suum circulum eandem proportionem, quàm habet alter. Quod hac demonstratione confirmabimus.

Sint duo circuli in eodem plano, nempe E D G in superficie terræ, & C A F in concaua cœli superficie, & eductæ sint à centro terrę B duæ lineæ B A, B C vsque ad cœlestem circulum; dico hasce lineas comprehendere duos arcus similes, nempe E D, C A, hoc est tantam portionem esse arcum E D integri sui circuli terrestris E D G, quanta est arcus A C respectu circuli cœlestis C A F. Cum igitur angulus E B D ad quatuor rectos, qui comprehendunt totum circulum habeat eandem proportionem, quàm habet arcus E D oppositus dicto angulo, ad integram circunferentiam E D G per secundum coroll. 33. sexti Elem. Eucl. cumque etiam angulus C B A, qui idem est cum angulo E B D habeat eandem proportionem ad eosdem quattuor rectos, quam habet arcus C A ad integrum circulum C A F per idem coroll. ideo ex 11. quinti Elem. arcus E D habebit eandem proportionem ad integrum arcum E D G, quam habet arcus C A



ad

ad integrum arcum C A F. Quare similes sunt dicti arcus E D, C A. quod demonstrandum proposuimus. Hoc idem concludi potest de duobus angulis æqualibus, qui comprehendent arcus similes duorum inæqualium circulorum.

In tertium caput.

QVI ante nos fuerunt non solum rectam aliquam distantiam, &c. *In hoc tertio capite Ptol. tradit primo modum à priscis Geographis observatum adinueniendi ambitum totius terreni globi, mediante directa distantia inter duo loca sub eodem meridiano iacentia, qui talis est. Obseruet quis in vno loco poli eleuationem vel per Quadrantem sicut docuimus in prop. septima, & octaua, quinti libri nostri operis de vsu Quadrantis: vel etiam per aliud quodcunque instrumentum. Deinde incedat sub eodem meridiano recto itinere, donec cognoscat eleuationem poli maiorem, vel minorem eße vno gradu, vel dimidio, vel alia quantitate sensibili: nam neceßario progrediendo sub eodem meridiano continuo poli eleuatio variatur. Minorem verò poli eleuationem ex maiore demat, vt innotescat differentia eleuationis poli inter illa duo loca, seu mauis differentia punctorum verticalium vtriusque loci. Metiatur quoque interuallum inter vtrunque locum, vt cognoscantur stadia vel milliaria itineris inter ea: deinde multiplicabit hanc distantiam per numerum graduum integri circuli, nempe per 360, & productum per polarem differentiam diuidat: sic enim consurget numerus ambitus totius terreni globi. Sed ob clariorem huius rei intelligentiam sit in sequenti figura circulus A C F meridianus cœlestis, & circulus D E D sit maximus terrestris circulus ipsi cęlesti meridiano subiectus in eodem plano. Sit verò A verticale punctum prioris loci D in terra, C autem sit verticale punctum alicuius loci existentis in F. Obscuratum deinde sit iter inter dicta duo loca D, & E, cui respondet in meridiano arcus A C, & varietas punctorum A, & C. Dico igitur prædictam distantiam terrestrem D E habere eandem proportionem ad integrum ambitum terrestris circuli D E G, quam habet arcus cœlestis A C ad integrum meridianum A C F, quia arcus, D E, A C similes sunt, vt demonstrauimus in fine præcedentis capitis. Sunt autem hic tres numeri noti, nempe arcus A C, differentia scilicet polaris seu punctorum verticalium, arcus D E distantia scilicet itineraria duorum locorum D, & E, & totus arcus A C F grad. 360 vnde ex aurea regula notificabitur etiam totus arcus D E G. Hac itaque ratione Ptol. adinuenit, circuitum vniuersæ terræ esse stadiorum 180000. tot enim stadia ponit capite septimo, quinti libri huius voluminis, & hæc quidem faciunt milliaria nostratia 22500, vel Germanica 5625. Nam vnicuique gradui deprehendit con-*



uenire stadia 500. quæ faciunt milliaria Italica 62 cum dimidio, vel quindecim Germanica cum quinque partibus octauis vnius milliaris.

Eratosthenes, vt recitat Cleomedes in primo ipsius libro capite de terræ magnitudine, alia via parum ab hac diuersa inuestigauit terrenum ambitum continere stadia 250000: is enim obseruauit varietatẽ meridianæ vmbræ, quę contingit duobus in locis sub eodem meridiano sitis, quæ sunt Alexandria Aegypti, & Syenes, quæ duo loca inuenit differre 50. circuli cęlestis parte, ac distare stadijs 5000. quæ quidem stadia in 50 multiplicata, dant terrenum ambitum stadiorum 250000. Plinius verò cap. 108. secundi libri de cœlo maiorem stadiorum summam ponit de sententia ipsiusmet Eratosthenis, vtpote stadia 252000, quia singulis gradibus meridiani 700 stadia assignat, quamuis secundum Eratosthenem sint tantummodo 694 cum quatuor nonis partibus vnius stadij. Idem Plinius ait, Hipparcum addere huic numero stadiorum Eratosthenis in ambitu terræ prope 25 millia stadia. Vnde iuxta eum erit terrenus ambitus stadiorum 277000. Sunt tamen, qui velint inter hos auctores nullam dari re uera differentiam, nisi quod stadia Hipparchi minora aliquanto sunt stadijs Eratosthenis. Tribuit autem Hipparcus singulo cœlesti gradui stadia 774.

Præterea inueniri potest ambitus totius terræ ex obseruatione altitudinis meridianę, alicuius stellæ fixæ cognitæ. Nam si sumpta fuerint duo loca sub eodem meridiano, quorum distantia itineraria pateat: deinde obseruata fuerit meridiana altitudo eiusdemmet stellæ in ambobus locis: ex differentia meridianæ altitudinis stellę, quæ ad vtrunque locum consurgit, & ex data itineraria dictorum locorum distantia innotescet ambitus integer vniuersæ terræ. Hac via Possidonius inuestigauit ambitum terræ stadiorum 240000, vt recitat Cleomedes in eodem loco supra citato; is enim elegit duas vrbes eidem ferè meridiano subiectas, nempe Alexandriam Aegypti, & Rhodum, in quibus obseruauit diuersitatem altitudinis meridianæ splendidissimæ illius stellę in Argo naui, quæ communiter vocatur Canobus, & deprehendit quidem hanc stellam, quę toti perpetuò Græciæ sub horizonte occultata latebat, inde progredientibus versus meridiem in Rhodiensi finitore primo se conspicienda exhibere, exiguo tamen momento, ceu stringens horizontem moxque sub ipso demergi. Sed in vrbe Alexandrię, quę longius in meridiem recedit sub eodem meridiano, stella eadem longiore mora lucet, atque altius supra horizontem attollitur, vtpote 48. integri meridiani parte, seu gradibus 7. cum semisse. Vnde quantus est arcus meridiani à Canobo ad horizontem Alexandrię respectu cœlestis meridiani, seu integri circuli cœlestis, tantum est interuallum Rhodi & Alexandrię, seu portio terrestris maximi circuli per vtrunque locum ducti respectu ipsius maximi terrestris circuli. At interuallum illud dimensum fuit complecti 5000 stadia, quę si in numerum 48 fuerint ducta, producent ambitum maximi circuli terrestris stadiorum 240000.

Non prętеribo dicere, Franciscum Maurolicum alium tradere etiam modum in suis dialogis Cosmographię, ad cognoscendum terrenum ambitum, qui sanè & si ingeniosus ac subtilis valdè sit; nihilominus suas habet difficultates ob visus nostri imbecillitatem, qui ex quouis sublimi monte difficile discernere potest vltimum terrę visę terminum, quod sanè in illo negocio requiritur.

Vnde

Vnde si etiam non per polos circulum secundum dimensam, etc. *Asserit in his verbis Ptol. quod quamuis duo loca, quorum distantia itineraria nota est, non sub eodem inciderint meridiano, nihilominus explorari poterit per ea terrestris circuli ambitus: sed secundum hanc rationem opus est cognoscere portionem maximi circuli inter duo illa loca intercepti. Quod quidem fiet si explorauerimus altitudinem poli vtriusque loci, & angulum positionis, quo vnus locus ab alterius meridiano distat: sic namque triangulum conformabitur sphæricum, cuius duo latera nota erunt, tanquam complementa latitudinum duorum assumptorum locorum ad quadrantem, cum angulo ab ijs comprehenso, qui vocatur positionis angulus, & determinat differentiam longitudinis vtriusque loci. Ex his enim datis cognoscetur tertium latus in dicto triangulo, quo duo loca secundum magni circuli portionem inter se differunt. Sed hunc modum docebimus in nostro opusculo de Triangulis sphęricis, quod propediem in lucem emittemus, in quo plenè noua methodo de huiusmodi triangulis pertractabimus, adhibitis quibusdam tabulis à nobis fabrefactis, in quibus solo laterali ingressu omnium sphęricorum triangulorum & latera & anguli facillimè, ac promptissimè haberi poterunt. Ibidem quoque quicquid ad Geographicum negocium attinet, abundè tradetur. Præterea etiam Quadrantem Meteoroscopicum in eodem volumine edemus, cuius vsus iucundissimus erit non tàm ad Triangulorum sphæricorum omnium dimensiones ac calculationes promptè eliciendas, quàm ad Geographicas omnes, ac totius primi mobilis operationes absoluendas.*

Idem nobis patebit si per instrumentum quo sublimiora &c. *Affirmat Ptol. posse facillimè sciri prædicta, ac alia insuper multa auxilio Meteoroscopici cuiusdam instrumenti ab ipso elaborati, cuius fabricam ab eodem auctore traditam non habemus. Regiomontanus tamen putauit, se eum indagasse, atque tradidit cuiusdam Meteoroscopij compositionem in Armillaris sphæræ formam extructi, docetque per eum non iniucunda quædam circa latitudines ac longitudines locorum, ac circa terrestres dimensiones, vt apud ipsum videre est.*

Non alienum à proposito mihi videtur, docere, nunc, quomodo ex cognito terreno ambitu possimus indagare eiusdem terræ diametrum seu profunditatem: aream seu capacitatem totius maioris terrestris circuli: quanta sit superficies conuexa totius terreni globi: & demum quanta sit eiusdem globi seu pilę soliditas.

Diameter itaque seu terræ profunditas sic inuestigatur. Subtrahe à numero ambitus terræ vigesimam secundam partem, & remanentem numerum per 3. diuide, & quod exibit, erit diameter ipsius globi. Demonstrat enim Archimedes in libello de circuli mensura, proportionem circunferentiæ ad suam diametrum esse triplam sesquiseptimam ferè, idest sicut 22 ad 7. Vnde posset etiam multiplicari ambitus terrestris per 7, & productum diuidi per 22, nam colligetur etiam idem numerus diametri. Quamobrem cum ex Ptol. sit terræ circuitus stadiorum 180000, multiplico hunc numerum per 7 & prouenit numerus 1260000, qui per 22 diuisus dat terræ diametrum stadiorum 57272 cum octo vndecimis, quæ faciunt milliaria 7159, & semidiameter erit stadiorum 28636 cum quatuor vndecimis, quę faciunt milliaria 3579 cum dimidio ferè. Contra verò si quis notam habuerit diametrum terræ, vt contingit in modo à Maurolico tradito, multiplicabit illam per 22,

& pra-

& productum diuidet per 7 ; nam sic proueniet integer terrenus ambitus. Scribit Plinius cap. 109 secundi libri de cœlo & mundo inuentam fuisse in Dionysiodori sepulchro epistolam, quam viuentibus scribebat, affirmans se inuenisse à sepulchro ad infimam terræ partem esse stadia 42000, secundum quam computationem congruerent terreno ambitui stadia 264000.

Superficies seu capacitas maioris terrestris circuli indagatur sic. Multiplicetur terræ semidiameter in medietatem circunferentiæ, seu ambitus terrę. Siue etiam multiplicetur integra diameter per quartam circunferentiæ partem, quia sic producetur arca, seu capacitas dicti circuli terrestris. Nam probat Archimedes, rectangulum comprehensum sub circuli diametro, & sub circunferentia circuli extensa quadruplum esse ad aream circuli. Est itaque terrę diameter stadiorum 57273 ferè, quæ multiplicata per 45000 stadia competentia quartæ parti totius circunferentię terrestris, producunt aream maioris circuli terrestris 2577285000 stadiorum. Pariter etiam si multiplicabitur terræ diameter milliarium 7159 in quartam circunferentiæ partem, nempe in milliaria 5625, inuenietur area prædicta milliarium 40269375.

Superficies porrò connexa totius globi terrestris habebitur quadruplicãdo aream maioris circuli. Etenim Archimedes probat 31 prop. primi libri de sphæra & Cylindro superficiem sphęræ cuiuslibet quadruplam esse ad maximum in ea circulum. Alio etiam modo producetur dicta conuexa superficies, nimirum ducendo diametrum in totam terreni globi peripheriam, cum enim Archimedes demostrauerit, rectangulum sub semidiametro circuli, & sub quarta parte ambitus eiusdem ęquale esse areæ circuli, quadruplum igitur huius erit rectangulum sub diametro, & toto ambitu circuli cõprehensum, & proinde æquale erit connexę superficiei globi. Est itaque superficies totius terrę & aquę iuxta hos modos stadiorum 10309140000, vel milliarium 161077500.

Postremo soliditas totius terrestris globi terrę, & aquæ definietur multiplicando semidiametrum ipsius in tertiam superficiei totius sphęrę partem. Nam rectangulum solidum à sphęræ semidiametro, & à tertia eius ambitus parte extructum ęquale est ipsi sphærę. Vel alijs etiam modis habebitur, quos recenset Peucerus in libello de dimensione terræ. ex his itaque concluditur, soliditatem totius terreni globi esse stadiorum 984058958700000, vel milliarium 19219230375 0.

In quartum caput.

INSTRVIT *hoc in capite Ptolemæus Geographum, qui vniuersum orbem cognitum describere intendit, seu etiam particularem aliquam regionem; proponens ei, vt primo ea accipiat loca tanquam fundamentum, quæ à prestantibus artificibus cœlestibus apparentijs obseruata sunt, vt scilicet horum locorum longitudines per defectus solares, vel lunares; latitudines verò per organa Astronomica exploratæ sint. Quibus deinde alia loca adnectere debet, quę vel ex historijs, vel ex solis peregrinationibus, aut alijs quibuscunque rationibus obseruata sunt; ita tamen vt tàm horum, quàm illorum priorum situs & positiones cum veris eorum sitibus, & positionibus quàm maximè congruant.*

Testatur præterea Ptol. paucos ex antiquis obseruasse locorum longitudines per Eclipses, & vnam tantum commemorat obseruationem duorum locorum per lunarem Eclipsim factam, quę quidem conspecta fuit Arbelis oppido Assyriæ hora quinta noctis, Carthagini autem hora secunda. Ex qua quidem obseruatione clarè elicitur differentia longitudinis horum duorum locorum, hoc est quot gradibus Aequatoris alter ab altero recedat versus ortum, vel occasum, dando scilicet cuilibet horæ quindecim Aequatoris gradus. Cum autem temporis differentia, quæ inter hęc duo loca intercedit, sit horarum trium, different vtique inter se gradib. 45 secundum longitudinem. Quare Ptol. statuit longitudinem Arbelarum gr. 80, & Carthaginis gra. 34. min. 50. Simile exemplum recitauit Plinius cap. 70 libri secundi de cœlo & mundo ad confirmandam terrę rotunditatem, dum ait, Arbelis oppido Assyrię conspectam fuisse eclipsim lunæ hora secunda noctis, quæ eadem in Sicilia conspecta est in noctis exordio. Cum igitur Arbela, vt diximus superius longitudinem habeat gr. 80. erit vtique Syracusę longitudo gr. 50. si vera est hęc obseruatio, vt differentia longitudinis inter hęc duo loca sit gra. 30. qui competunt duabus horis. At Ptol. notat Syracusarum longitudinem gr. 39 cum dimidio.

Cæterum doceamus nunc, quomodo vrbium ac locorum longitudines explorentur. Prisci Geographi vnam tantum nobis reliquerunt viam per lunares Eclipses, quam omnes ferè communiter, vt certiorem sequũtur: etenim cum luna eodem temporis momento vbique obscuretur iuxta diuersas ipsius temporis supputationes ratione diuersitatis meridianorum contingentes, ipsorum meridianorum cognoscitur diuersitas. Nam lunaris defectus duobus diuersis in locis videbitur aut eodem momento, & tunc ambo loca sub eodem existunt meridiano, nec vlla inter ea erit longitudinis differentia. Aut in vno loco videbitur citius, in alio tardius, & tunc ille locus, vbi apparebit citius, idest vbi numerabuntur pauciores horæ, erit altero orientalior. Sed aduertenda nonnulla sunt, nempe quod in obseruanda eclipsi vel principium eius in vtroque loco obseruandum est, vel medium; consulendo scilicet Ephemerides vel Astrologicas tabulas: sed tutius est obseruare initium totalis obscurationis, vel initium recuperationis luminis in totali Eclipsi, quæ accidit cum mora. Deinde tunc momentum temporis cognoscendum est vel per horologiũ aliquod exactissimè confectum, vel potius per latitudinem alicuius stellę fixæ.

Prętер hanc aliæ traduntur vię ab artificibus pro inueniendis locorum longitudinibus: hoc est vel per machinam horariam, vel per horologium portatile, vel per motum verum lunę, atque etiam per aliquam stellam fixam, quę vltra quinque gradus latitudinem ab ecliptica non habeat, vt tradit Vernerus, & post eum Orontius in peculiari libello, quem de inuenienda locorum longitudine inscripsit. Aut etiam auxilio magnetis iuxta variabilem ipsius à meridiano Declinationem, quemmodum tractarunt Liuius Sanutus in sua Descriptione Africę, & Io. Baptista Porta in sua Magia Naturali postremo impressa. Sed hæ omnes vię difficiliores ac obscuriores sunt, in quibus exiguus error maximam in longitudine differentiam parit.

Postremo etiam cognosci facillimè potest longitudinis differentia ex data longitudine vnius loci, & angulo positionis, sub quo alter locus conspicitur, cum interuallo itinerario vtriusque loci, de quo alibi dicemus. Non ignorandum tamen est, duplex

dari

dari initium longitudinis apud Geographos; vnum quidem ab insulis Canarijs, vt apud Ptolemæum & vetustiores Græcos Geographos, quod communiter sequimur: alterum à termino occidentis noto & insigni, nempe à littore citimo oceani occidentalis, quod à columnis Herculis vltro citroque in Austrum & Septentrionem exporrigitur, & sub vno quasi meridiano gradus latitudinis 30. complectitur. quod sanè initium Abilfedca Maurus insignis Geographus cum Arabibus ferè omnibus sequitur. Vtriusque autem initij differentia decem graduum computatur, vt notat commentator Alfragragni.

In quintum caput.

ADMONET *rectè in hoc capite Ptol. Geographum in designandis regionum ac prouinciarum limitibus, atque particularibus locis in illis imponendis, vt recentiorum scriptorum historias veras suscipiat, reijciendo ea, quę fabulosa sunt. Quod sanè nulla alia de causa factum ab ipso fuit, nisi quia videmus continuo mutationes & alterationes insignes in ipsis regionibus contingere, atque etiam in vrbibus, territorijs, ac populis: nam intereunt vrbes ac regna ipsa florentissima & imperia, necnon etiam regiones incultæ, inhabitatæque successu temporis coluntur ac inhabitantur. Quinimo quotidie regiones cognitę melius explorantur, & nouę regiones ac terrę partes de nouo innotescunt: nam post Ptolemęum præterquam quod insignis mutatio in imperijs, regnis, ac dominijs facta est, multę etiam amplissimæ orbis partes detectæ sunt, ac perlustratæ, vt omnibus ferè patet.*

In sextum caput.

PRÆPONIT *hic Ptolemæus Marinum Tirium cæteris omnibus Geographicis scriptoribus, qui ad illam vsque ætatem floruerunt, atque illum partim commendat, partim etiam carpit, & reprehendit, nimirum quia in orbis designatione plures commiserit errores, quippe qui & malè vsus fuerit historijs antiquis, accipiendo scilicet ab eis, quæ minus vera sunt, ac minus fide digna: deinde Marinus inconcinnè longitudinem terræ, ac eius latitudinem determinat. Sic quoque in describendis regionibus fines earum ineptè assignauit, & denique in docendo orbis designationem in plano maximè hallucinatus fuit, vt ex ipso Ptolemęo in sequentibus capitibus apparebit.*

In septimum caput.

EXAMINAT *hoc in capite Ptol. Marini rationes, ac fundamenta, quibus probare nititur longitudinem, ac latitudinem vniuersi orbis habitati, & primo quidem proponit, quid Marinus de vniuersæ terrę habitatæ latitudine senserit, dicens ipsum definiuisse vltimum latitudinis Borealis orbis terminum in parallelo ducto per Thyle insulam, quem ab Aequinoctiali in Boream ait distare gr. 63. Quod sanè à Ptol. ipso confirmatur, & pro*

vero

vero assumitur. Jacet autem Thyle insula supra Scotiam, & insulas Hebrides, ac Orcades ad Septentrionem & ortum, vocaturque hodie Schetlandia, *& nautis* Thylinsel. *Deinde refert, eundem Marinum vltimum parallelum terræ cognitæ ab Austro locare sub tropico Hyberno, qui gr. ferè 24 ab Aequatore in Austrum recedit, quem quidem parallelum ducit per Agyssimbam regionem Aethyopiæ, & per Prassum promontorium. Et in hoc quidem Marinus à Ptolomęo reprehenditur ac emendatur, qui hunc parallelum gradibus tantum 16 min. 25. ab Aequatore in Austrum distare affirmat infra cap. decimo. Unde cognitæ terræ latitudo non est gr. 87, vt Marinus censuit, sed tantummodo gr. 80, vt ex Ptol. patet.*

De Agyssimbę regionis situ dubium est apud recentes auctores. Nam mercator constituit eam citra Aequatorem in Nigritarum solo. Sed Sanutus, cui magis hac in re fides præstanda est, collocat eam vltra Aequatorem in regno Benomotaxæ, *seu* Monopotapæ. *vultque hodie extare ędificium* Simbaoe *vocatum. Prassum verò promontorium hodie putatur esse caput* Mozambique, *quod situm est in Aethyopia inferiore, seu exteriore vltra Aequatorem gradibus circiter 12. Unde recentiores hunc Australissimum antiquorum parallelum contraxerunt gr. 4 cum dimidio, ex quo patet, latitudinem terrę habitatę antiquorum non fuisse gr. 80, vt Ptol. censuit, sed grad. tantummodo 75.*

Preterea recenset Ptol. cœlestes apparentias, quibus Marinus vtitur ad confirmandam terræ latitudinem ab ipso definitam, quibus diligenter examinatis concludit, nullam ab ipso Marino afferri obseruationem cœlestem, qua conuincere possit dari vltra Aequatorem versus Austrum habitationem; quoniam nulla huiusmodi obseruatio vni saltem loco Australis latitudinis conuenire potest. Ex his autem Marini obseruationibus sola prima vtilis est, quam exponere decreuimus. Ait itaque Marinus, quod Zodiacus in zona torrida totus apparet, atque ibi vmbræ transmutantur ac omnia astra oriuntur & occidunt. Sola autem vrsæ minoris constellatio non occidit; sed super terram continuo apparet in locis, quę circa Ocele emporium Arabię fœlicis in septentrionem stadijs 5500 ab Aequatore distant. Ex qua quidem obseruatione clarè conuincitur, quanta sit Poli eleuatio Oceles in hūc modum.



Sit Meridianus per Ocelē ductus A E F B, horizon A C B, cuius polus sit E, vertex scilicet loci Oceles existentis in superficie terrę C. sit autem stella in extremo caudę vrsæ minoris H, quę in illa habitatione semper supra terram extat, ac parum supra horizontem in minima sui altitudine eleuatur, quę sanè stella magis tunc, quàm aliæ stellæ eiusdem constellationis in Austrum recedebat, cuius quidem stellę declinatio datur illo ęuo ex Hipparchi obseruationibus gra. 77 min. 36. cui debetur arcus H I distātia scilicet stellæ ab Aequatore F C I, huius complementum est arcus H D, distātia scilicet prædictę stellę à polo mundi gr. 12. min. 24.

D *& tantus*

& tantus est arcus E F, latitudo scilicet emporij Oceles. Quam sanè obseruationem Ptolemęus comprobare satis videtur, dum eius vrbis latitudinem libro sexto huius voluminis ponit gr. 12. Cæterum huius stellę distantia à polo multo minor est hoc nostro tempore, distat enim tantummodo gradibus tribus cum dimidio, nec vlla alia stella vicinior hodie est ipsi Boreo polo, vnde ex hoc communiter stella Polaris vocatur.

In octauum caput.

CVM in præcedente capite Ptol. confutasset Marini rationes, quibus ex cœlestibus apparentijs probare nitebatur, Australem terræ habitatæ terminum ad tropicum vsque Hyemalem produci; nunc consequenter examinat alias rationes ex profectionibus tam terrestribus, quàm maritimis desumptas, quibus Marinus eundem vniuersæ terrę habitatę Australem terminum sub tropico hyemali coincidere demonstrauit.

Prima quidem est profectio terrestris à magna Lepti vsque ad Agyssimbam. ex qua colligit, Agyssimbam distare ab Aequatore versus Austrum stadijs 468, quibus competunt gradus paulò plus 9. assignando nempe 500 stadia vni gradui. Est autem Magna Leptis vrbs littoralis Africę ad mare mediterraneum exposita, quæ etiam Neapolis dicta fuit, deinde Tripolis Barbarię antiqua, non longè à qua constructa fuit Tripolis noua.

Secunda est maritima profectio facta à Ptolemaide vrbe Troglodyticę ad Prassum promontorium, ex qua Marinus colligit, distare Praßum promontorium ab Aequinoctialistadijs 27800, quibus congruunt gr. 55. min. 36. Ex qua ratione sequeretur, illud promontorium, & Agyssimbam regionem subijci gelidæ Zonę ad Austrum sitæ, quæ clauditur intra parallelum gr. 24 latitudinis Austrinæ, & parallelum gr. 66. Vnde oportet, eos habere eundem frigoris rigorem, quem habent Scythę, & Sarmatę, qui sub consimili zona ad Boream degunt. Quod falsum est; nam Agyssimba regio calido potitur cœlo, vt omnibus notum est. Verumtamen Marinus ipse, vt hoc inconueniens euitaret, subijcit non integrum hunc numerum stadiorum debere accipi, sed dimidium propter flexuositatem nauigationis. Quod tamen à Ptol. confutatur hac potissimum ratione, quod in alijs itinerum dimensionibus hac correctione Marinus vsus non fuerit.

In nonum caput.

TOTVM hoc caput consumitur in improbatione aliquot nauigationum à Marino assumptarum, vt confirmaret Agyssimbam regionem, ac Praßum promontorium Brumali tropico subijci. Et quia textus per se facilis est, nihilque notatu dignum continet, idcirco has nauigationes à Marino consideratas relinquemus. In fine tandem Ptol. concludit Prassum promontorium, & Agyssimbam regionem debere locari in consimili situ oppositæ plagæ Australis respectu Aequinoctialis, quem obtinet regio aliqua Borealis, in qua homines consimili colore affecti sint, sicut incolę Agyssimbę, & in qua elephantes, aliaque

aliaque animalia inueniantur, quemadmodum in Agyssimba, ac circa Prassum promontorium. Quæ sanè coniectura valdè debilis est, & multoties experientiæ non respondet: nam non solum in oppositis parallelis diuersitas in hominibus, in aeris temperie, ac in terræ nascentibus inuenitur: verum in eodem parallelo, atque sub Aequinoctiali etiam ipso, sub quo omnis habitatio non est feruens, ac torrens Zeilan enim Insula sita est sub zona torrida inter quintum, & decimum gradum latitudinis Boreæ, quę tamen cœlo temperatissimo, aere saluberrimo, agro vberrimo ac perpetuo virescente potitur: quinetiam incolas ipsos habet albos. Sunt etiam aliæ habitationes commodę sub Aequatore, ac zona torrida in insulis circa orientalem Indiam, atque in nouo orbe, quę valde discrepant à consimilibus habitationibus Africæ. Vnde hæc Ptolemæi ratio desumpta à similitudine hominum, animalium, terræ nascentium, & qualitatis aeris aspernanda prorsus est pro constructione Geographię.

In decimum caput.

CONFIRMAT hic ratione in superiori capite ad finem allata Agyssimbam regionem & Prassum promontorium locanda esse sub Antipa rallelo fermè per Meroem, idest sub opposito parallelo illi, qui ducitur per Meroem Nili insulam, qui incidit in gr. 16. min. 25. Vnde ex hoc termino Australi confirmato colligit vniuersam cogniti orbis latitudinem non esse 87 graduum, aut stadiorum 43500, vt Marinus posuit, sed 80 graduum & stadiorum 40000, dando scilicet vnicuique gradui 500 stadia.

In vndecimum caput.

POST emendationem latitudinis orbis cogniti, circa quam hactenus Ptolemęus versatus fuit; nunc aggreditur alteram terrę dimensionē, nempe longitudinem, quę quidem accipitur ab occasu ad ortum, & mensuratur secundum Aequinoctialem circulum, cuius quindecim gradus vnam horam conficiunt. Ait itaque Ptol. Marinum ponere vniuersi orbis longitudinem complecti horaria interualla 15, quę faciunt gradus 225, incipiendo scilicet occidentem versus à meridiano insularum Fortunatarum vsque ad meridianum qui ducitur per Seram, Sinas, & Cattigaram ad ortum, & hanc quidem longitudinem, vt iusto maiorem corrigit, ac contrahit in duodecim tantum horarum interualla, & in gra. 180, vt scilicet semicirculum Aequinoctialis complectatur. Comprobat autem Ptol. Marini considerationes aliquas, ac computationes ab itinerum dimensionibus factas: nonnullas verò taxat, ac corrigit.

Primo quidem interuallum illud inter insulas Fortunatas vsque ad Hierapolim vrbem ad Euphratem sitam sub parallelo per Rhodum confirmat Ptolemęus esse rectè acceptum ac numeratum à Marino, eo quia illud ipsum quadrat breuioribus & particularibus locorum distantijs, quæ perpetuis fuerunt peragrata itineribus. Quantum autem huiusmodi interuallum sit, & quomodo cum particularibus distantijs, & locis consentiat, à Ptol. non ponitur, referente se ad Marini scripta.

Deinde etiam idem Marinus à Ptol. imprimis commendatur, quod vnicuique gradui cœlesti 500 stadia tribuat, vel in Aequinoctiali, vel in alio circulo maximo, & quod etiam in parallelo per Rhodum ducto, qui ab Aequinoctiali abest gra. 36. vni gradui stadia tantummodo 400 assignet, licet in hoc exigua à vero sit quædam differentia.

Reprehenditur autem Marinus à Ptol. in computatione duarum distantiarum ab ipso enumeratarũ, quarum vna ab vrbe Hierapoli iam dicta vsque ad lapideam turrim, quę est in Saca regione, continet funes 876, seu stadia 26280. Altera vero ab eadem turri ad Seram metropolim Sericę regionis quod est iter septem mensium, & complectitur stadia 36200, in quibus quidem distantijs Marinus hallucinatus fuit, cum æquam rectificationem in eis non obseruauerit, vt in textu videre licet, qui facilis, satis est. Cæterum notandum hic est, funis mensuram 30 stadia apud Ptol. & alios comprehendere.

In duodecimum caput.

PRIMO quidem in hoc capite Ptol. examinat distantiam illam in superiori capite memoratam, scilicet à lapidea turri in Sacca regione sub parallelo Byzantino ad Seras sub parallelo Hellespontino collectam ex septimestri itinere, quę à Marino ponitur stadiorum 36200, concluditque ipsam esse in dimidium contrahendam, nempe in stadia 18100, quibus assignat gr. 45 cum quarta parte, dando scilicet vni gradui 400 stadia: licet non propriè sub parallelo per Byzantium & Hellespontum talis stadiorum numerus competat, sicut sub Rhodiensi ferè: nam propriè sub parallelo ducto inter Byzantium & Hellespontum, qui transit per gra. 42, vni gradui competunt stadia tantummodo 375. Vnde hac ratione illi stadiorum numero competerent gr. 48 ferè. Gradus itaque 45 cum quarta parte dabunt minorem stadiorum numerum in prefata distantia, nempe stadia 16970.

Secundo Ptol. confutat similitudinem illam, qua Marinus comparauit viam à lapidea turri ad eam, quæ à Garamantibus ad Agyssimbam regionem porrigitur; neque concedere vult in vtraque tantam diminutionem stadiorum fieri. Prioris deinde viæ distantiam ab Eufrate lapideam turrim, quæ subijcitur funium 876, in 800 tantum funes contrahit, quę faciunt stadia 24000, ob particularium viarum diuerticula, quæ sigillatim Ptol. enumerat. Quæ deinde stadia 24000 in gradus conuertit 60, prout 400 stadia vni competunt gradui sub Rhodiensi parallelo, quos addit gr. 45. cum quarta congruentibus interstitio ab Eufrate ad Seras, atque colligit longitudinem inter Eufratem, & Seram esse gr. 105 cum quadrante.

Vltimo examinatis aliquot particularium locorum interstitijs colligit longitudinem ab insulis Fortunatis ad Eufratem esse gr. 72. Quocirca ex his concludit, vniuersam terrę cognitæ longitudinem esse graduum 177 cum quadrante. Quod quidem constat addendo gra. 72. distantię insularum Fortunatarum ad Eufratem gradibus 105 cum quadrante distantię inter Eufratem, & Seras.

In decimumtertium caput.

CVM in proximo capite ex terrestribus quibusdam profectionibus Ptolemæus collegisset longitudinem orbis cogniti esse graduum 177 cum quadrante; nunc in his duobus capitibus conatur idem confirmare ex nauigationibus quibusdam. Et in hoc quidem capite examinatis quinque particularibus distantijs colligit, longitudinem inter Cory promontorium, & Auream Chersonesum esse graduum 34 cum 48 minutis.

Prima harum distantiarum est inter Cory promontorium, & Cururam seu Curulam ciuitatem 3040 stadiorum. Ex qua quidem distantia Ptol. in primis subducit tertiam partem quę est 1010 stadiorum iuxta Ptol. & residui numeri 2030 iterum tertiam partem aufert, nempe 680, atque vltimo huius relicti numeri 1350 dimidium tantum accipit, hoc est stadia 675, & tantam vult esse distantiam inter duo loca numeratam in circulo parallelo Aequinoctiali. Ac vt magis perspicuè ratio ipsius pateat, subijciamus sequentem figuram, in qua A intelligatur Cory promontorium, C cururra ciuitas, A B C sinus Argaricus ad semicirculi formam accedens, A C directa distantia inter dicta duo loca, C D meridianus per Cururam ductus, E A meridianus per Cory ductus, A D portio paralleli incedẽtis per Cory inter dictos Meridianos cadens, quam quidem cognoscere opus est. Accipiamus autem facilitatis gratia hos omnes arcus tanquam rectas lineas, quoniam quilibet eorum à recta linea parum differt. Constat igitur primo distantiam inter Cory, & Cururam secundum viam sinus A B C esse stadiorum 340. Sed quoniam nauigatio prędicta inæqualis fuit, & non absque quibusdam interceptis moris propter inæqualitatem ventorum, idcirco ex hac summa merito auferenda est tertia pars, vt ęquata nauigatio prodeat stadiorum 2030 secundum iter sinus prædicti A B C. Cum verò is sinus semicirculi referat formam, erit proportio lineę curuæ A B C ad rectam lineam A C, sicut 11 ad 7, ex Archimedis ratione, qua constat circulum ad diametrum proportionem habere triplam sesquiseptimam, hoc est sicut 22 ad 7. Verum Ptol. precisè hanc rationem non obseruauit; sed proportionem sicut 12 ad 8, nempe sesquialteram supponit prędictæ lineæ curuę A B C ad rectam A C augendo vtrunque numerum vnitate, quæ parum differt à iam dicta proportione circuli ad diametrum. Quare ablata tertia parte à dicta summa relinquitur correcta distantia directa A C stadiorum 1350 inter Cory, & Cururam. Hoc autem cognito considerabimus triangulum C A D, quod quidem rectangulum est: nam meridianus C D ad parallelum A D rectus est, quia per eius polos transit. Cum igitur recta linea A C deflectat à meridiano A E Cory promontorij in Boream, erit angulus E A C gra. 30, hoc est tertia pars vnius recti: nam ventus Boreas recedit gradibus 30 à linea meridiana à parte septentrionis versus ortum iuxta antiquorum



rum traditionem ponentium 12 ventos, quare coalternus illi angulus A C D erit etiam tertia vnius recti pars ex 29 primi Elem. cum sint parallelę rectę E A, C D propter angulos rectos, quos cum A D conficiunt. Cum vero eadem sit lateris ad latus proportio, quę est sinus angulorum illis oppositorum ex decima nostrorum Planorum triangulorum, cumque sinus anguli gra. 30 sit dimidium semidiametri circuli, seu integri sinus ex secũda prop. sinuũ Regiomontani; si ponatur latus A C quod recto angulo opponitur, tanquam sinus totus, erit dictum latus A C duplum lateris A D. Quare dimidiata ipsa distantia A C stadiorum 1350, prouenit portio quęsita paralleli A D stadiorum 675, cui competit gradus vnus cum tertia vnius gradus. Potest etiã alia ratione ostendi rectam A C duplam esse rectę A D. Nam cum angulus A C D sit tertia recti pars, erit reliquus è recto C A D duarũ tertiarum vnius recti, hoc est tertia pars duorum rectorum, ac proinde erit vnus ex angulis trianguli æquilateri, & reliquus A C D erit dimidium vnius anguli trianguli ęquilateri, vnde C D erit perpendicularis bifariam secans vnum latus trianguli æquilateri, cuius lateris dimidium est recta A D.

Cæterum Cory promontorium puto non esse hodie caput Comorin, vt quidam volunt, sed potius caput de Colle, vt Mercatori placet. Caput verò Comorin mihi videtur esse commaria extrema Ptolemęi. Cururа autem mihi videtur hodie esse Cumura propter nominis affinitatem, ac propter situm.

Secunda nauigatio, quam Ptol. taxat & corrigit, traditur à Cururа ad Paluras versus Hybernum solis ortum, idest ad Eurum, stadiorum 9450. Sit igitur in subiecta figura Cururа ciuitas A, Palura B declinans gradibus 30 à parallelo A C per Cururam ductò: nam Eurus ventus declinat ab Aequinoctiali versus meridiem gra. 30. sit verò meridianus per Paluram C B. nauigatio à Cururа ad Paluram sit facta secundum directam viam A B, nõ autem secundum viam sinuosam. Cum itaque nauigatio hæc iuxta lineam A B supponatur stadiorum 9450, si ab



hoc numero fuerit detracta tertia pars, nempe 3150 propter inęqualitatem nauigationis, relinquetur directa via A B stadiorũ 6300. Cum autem angulus C A B sit tertia vnius recti pars, erit reliquus acutus angulus A B C duarum tertiarum vnius recti: nam angulus C. rectus est, vt supra in altera demonstratione patuit: vnde vt supra erit recta A B dupla rectę B C, & proinde quadratum lateris A B quadruplum erit quadrati lateris B C. Sed duo quadrata A C, C B ęqualia sunt quadrato lateris A B, quare dicta duo quadrata A C, C B quadrupla erunt quadrati C B, itaque qualium est quadratum A B quatuor, hoc est duo quadrata A C, C B, talium est quadratum C B vnum, ideoque talium etiam trium erit quadratum reliquum rectæ A C, qualium scilicet quadratum A B est quatuor. Quare proportio quadrati lateris A B ad quadratum lateris A C erit sesquitertia, idest sicut numeri quadrati 36 ad numerum quadratum 27, sed numeri 36. radix quadrata est 6. & numeri quadrati 27 radix est 5. ferè, igitur proportio directæ viæ A B ad por-

portionẽ paralleli A C est sicut 6, ad 5, Quare à stadijs 6300 directæ viæ A B sexta parte detracta remanent stadia 5250 paralleli A C, quę in gradus conuertuntur decem cũ dimidio, diuidendo ea per numerum 500. Etenim cum talis parallelus distet tãtummodo gr. 12 ab Aequinoctiali parum differt à magnitudine Aequinoctialis, & pro singulo gradu accipi possunt tuto stadia 500, sicut etiã in Aequinoctiali.

Sed alia etiam via haberi potest dictus arcus A C paralleli per Cururam ducti supposito triangulo A C B rectilineo, cum eę portiones arcuum non differant ferè à rectis lineis. Nam cum detur latus A B stadiorum 6300, erit eius quadratum 39690000. Est autem latus C B dimidium lateris A B, vt in superiore exemplo fuit conclusum, nempe stadiorum 3150, cuius quadratum 9922500 sublatum à quadrato dicti lateris A B, relinquitur quadratum lateris A C, 29767500 cuius quadrata radix ex nostra tabula Tetragonica accepta dabit latus A C stadiorum 5456 ferè. Quæ via exactior est, quàm Ptolemaica. Possumus etiam idem latus A C explorare per decimamtertiam nostrorum Planorum triangulorum mediantibus sinubus. Causa autem diuersitatis est, quia Ptol. supponit rationem lateris A B ad latus A C esse sicut 6 ad 5, & vera proportio est sicut 60. ad 52: vnde si multiplicabimus numerum stadiorum lateris A B per numerum 52 & productum diuiserimus per numerum 60 colligemus stadia 5460. Qui calculus parum ab altero nostro calculo discrepat.

Cæterum Palura hodie est Cincapura in extremo Malacensis Chersonesi, quę attingit ferè Aequinoctialem. Hæc autem à parallelo Cururæ non recedit gr. 30, vt Ptol. annotauit, sed octaua ferè circuli parte.

Tertia nauigatio, quam Ptol. ex Marino recenset est à Palura ad Sadam ad ortum Aequinoctialem stadiorum 13000, inter quas vrbes intercedit sinus Gangeticus, qui ponitur stadiorum 19000. Vnde quia hanc nauigationem factam credidit directo fere itinere sub eodem parallelo, tertiam tantum partem Ptol. detrahit propter nauigationis irregularitatem, vt relinquatur distantia correcta inter hæc duo loca stadiorum 8670, quibus debentur gra. 17 cum triente pro meridianorum horum locorum distantia. Porrò in huius nauigationis enarratione manifestissimus patet error, quo Ptol. cum Marino adeò diuersam huius orientalis partis terræ faciem designauit, vt nullam ferè similitudinem cum recentiorum descriptione habeat. Non sunt ergo sitæ vrbes Palura & Sada, quibus intercedit Gangeticus sinus in eodem parallelo distanti ab Aequatore gr. 11 cum semisse, vt Ptol. ponit; nec nauigatio facta fuit ad ortum Aequinoctialem: sed potius ad Aquilonem ferè, qui ventus recedit ab ortu Aequinoctiali gr. 60 versus Septentrionem. Vnde Sada erit in parallelo distanti ab Aequatore, vbi Palura incidit, gradibus 28. Credimus enim Sadam vrbem esse Zaiton vrbem hodie vocatam, vel saltem prope ipsam fuisse: nec mirum videri debet, Ptolemæum cum Marino deceptum fuisse in descriptione huius partis, cum eam ex velationibus mercatorum, qui ad hęc loca nauigarunt construxisset. Quod autem sinus Gangeticus sit nunc inter Cincapuram & Zaiton, clarè arguunt insulę à Ptol. in dicto sinu positæ, quæ cum recentiorum descriptione consentiunt: Bazacata enim insula Ptol. nostris hodie est Palohan: Bonæ Fortunæ insula Ptol. nostris est Burneo: Baruſſę insulæ Ptol. hodie à nostris Philippinæ vocantur, quarum recentia nomina sunt Subut, Cailon, Mindanao, Tandair, Luzzon:

zon: *Sindæ insulæ Ptol. hodie dicuntur* Celebes, Gilolo, *&* Ambon. *Sunt qui tenent, sinum Gangeticum hodie esse sinum* Bengalicum; *sed hi vbi reperient in sinu* Bengalico *insulas à Ptolemęo in Gangetico sinu descriptas?*

Quartam nauigationem commemorat Ptol. ex Marino à Sada vrbe ad Tamalam vrbem stadiorum 3500, quasi ad ortum hybernum, quę iuxta recentes tabulas est ad ortum solstitialem ferè & ad Cęciam. Tamalæ enim vrbis situs videtur esse nunc, vbi Quequeam *vrbs, vel prope. Ab hoc stadiorum numero Ptol. reijcit tertiã partem ob inęqualitatem cursus, & relinquuntur stadia 2330 pro recta distantia dictorum locorum. A qua, quoniam ad Eurum eam inclinare putat, iterũ sextam aufert partem eadem ratione, quam in secunda nauigatione obseruauit, & relinquitur tandem portio paralleli per Sadam ducti indicantis distantiam inter meridianum vtriusque loci stadiorum 1940, quibus conueniunt gr. 3. min. 50.*

Quintam & vltimam nauigationẽ recenset Ptol. ex Marino à Tamala ad Chersonesum auream stadiorum 1600 ad ortum quasi Hybernum, quam eadem ratione corrigit, & contrahit in 900 stadia, quæ dant gradum vnum, & 48. minuta. Verum si hanc ad recentem descriptionẽ referemus, videbimus non fuisse ad Hybernum ortum; sed potius ad ortũ ferè Aequinoctialem: Auream enim Chersonesum tenemus cum Mercatore esse insulam Sapanicam: non autem Malacam regionem, atque Ptolemæum perperam eam pro peninsula accepisse. Ex his itaque quinque particularibus distantijs in vnam summam redactis, prodit longitudo inter Cory promontorium & Auream Chersonesum gr. 34 cum min. 48.

In decimumquartum caput.

QVOD hæc orientalis orbis cogniti pars probabili valdè, ac fallaci coniectura à Ptol. & Marino sit descripta, apparet tùm ex superiore, tùm etiam ex prę̃senti capite, in quibus hi prę̃stantes viri ex quibusdam nauigationibus malè à mercatoribus, & scriptoribus proditis Indiam vtramque, Sinam, & Sericam regiones amplissimas adeò absurdè, & indecenter delinearunt. Cum igitur prę̃fati viri malè Auream Chersonesum situaßent, nil mirum est, si regiones & loca, quæ deinceps sequuntur, tã à vero discrepent, dum illi errores errori addunt. Quid igitur absurdius excogitari potest, quàm Sinarum regionẽ esse sub Aequinoctiali, & Cattigaram vltra Aequinoctialem ad Austrum, cũ toties nostris temporibus lustratus sit oceanus orientalis ac Indicus, nec vnquã talis continentis pars sit adinuẽta. Sequitur itaque grauissimos hosce antiquos auctores malè has regiones locaße flectendo ipsas ad Meridiem, cum debuissent eas ad Septentrionẽ ac ortum extendere, vt recens descriptio se habet. Videamus modo, quibus coniecturis hoc reliquum terrę ad ortum vltra Auream Chersonesum Ptol. descripserit. Ait itaq; Ptol. Marinum referre Alexandrum scripsisse terram inde contrariã esse meridiei, & qui iuxta illam nauigant diebus 20 applicare ad ciuitatem Zabas, à Zabis vero nauigantes ad Austrum magisque in lęuam diebus aliquot Cattigara excipere. Hactenus Ptol. ex Marino. Quod reliquum continentis terræ ab Aurea chersoneso contrarium sit meridiei, idest quod Septentrionem versus recedat, vt scribit Alexander, patet non solum vsque ad Zabam ciuitatem; sed etiam vsque ad Cattigaram & vltra:

vltra: licet Ptol. à sinu magno ad Cattigaram littus reflectat à Septentrione ad Meridiem vltra etiam Aequinoctialem gradibus prope 9. permotus illis verbis, quod à Zabis nauigantes ad Austrum, magisque in lęuam diebus aliquot Cattigara petunt. Quod sanè veritati consonum haud est. Vt igitur Ptol. interuallum longitudinis ab Aurea Chersoneso vsque ad Cattigaram adinuenire possit, collationem facit huius tam incertæ, obscuræque nauigationis cum alijs duabus, quas capite octauo commemorauit, ex quo concludit longitudinem inter Auream peninsulam, & Cattigaram esse gr. 17 cum sextante: quibus si addantur gr. 34 cum min. 48. distantiæ inter Cory promontorium, & Auream chersonesum, prodibit distantia inter Cory promontorium & Cattigaram gr. 52; cumque Cory promontorium distet à meridiano insularum Fortunatarum gr. 125, & paulò plus, si hi gradus simul conflentur, emerget longitudo terræ ab insulis Fortunatis ad Cattigaram gr. 177. Sed quoniam Sinarum metropolis, quæ orientalior adhuc est Cattigaris, vltima est terræ cognitæ ad ortum, accipit totam vniuersæ terræ cognitę longitudinem partium 180, quæ faciunt duodecim horarum interualla.

Porrò Zabæ ciuitatis situm in modernis tabulis certò explorare non potui. Sed Cattigaræ stationem Mercator locat in Tenduc *regno, in quo est* Tenduc *vrbs metropolis, quæ Thine seu Sinæ metropolis Ptol. esse videtur. Et Cattigaræ quidẽ situs incidit sub 58 gradu latitudinis: vnde insigniter differt à Ptol. descriptione, qui eã ponit in gr. 9. latitudinis Australinę. Similiter Magnum sinum, quẽ Ptol. putat protendi à meridie in septentriones, recentiores ab ortu in occasum producunt vocantque cum* Mare Chinæ: *atque sic totũ hunc orientalem orbis terminũ ad septentrionem cõuertunt, vt nauigationes recenter edocent: non aũt ad meridiem, vt Ptol. falsò supposuit.*

In decimumquintum, & decimumsextum caput.

HACTENVS Ptol. nauauit operam, vt emendaret ex Marino vniuersæ terræ cognitæ latitudinẽ ac longitudinem: nunc autem in 15 capite disputat contra eundem Marinum de quorundam particularium locorũ longitudinibus ac latitudinibus, quas in diuersis suis opusculis tradidit, ostenditq; ipsum in ijs contraria ac diuersa sensißе, grauiterque errasse; si quidem Marinus ipse interdũ duo loca opposita seu in vno ac eodem meridiano sita, sub vno ac eodem parallelo collocat, & è contra. Recenset autem plura huiusmodi inconuenientia Ptol. quę examinare non decreuimus, cum parum hoc ad artis intelligentiam faciat; præsertim cum textus ipse per se intellectu facilis satis sit.

Prę̃terea in decimosexto etiam capite Ptol. reprehendit, ac corrigit Marinum circa nonnullarum regionum ac prę̃turarum fines perperam ab ipso annotatas, vbi enumerat quędam errata circa fines Mysię, Thraciæ, Italiæ, Pannoniæ &c.

In decimumseptimum caput.

OSTENDIT Ptol. in hoc capite Marinum dissentire ab historijs, & relationibus quarũdam nauigationũ à suis coetaneis traditis, & hi quidem fuerũt mercatores & naucleri, qui ex Arabia felice versus ortũ per vniuersæ oram Indię nauigarunt, atque ẽt ab Aromatis ad Prassum promont. meridiẽ versus.

Reprehenditur Marinus à Ptol. primũ, quod Sachalitem sinum ab occasu Syagri promontorij posuerit, asserens illum potius esse ab ortu vnà cũ Sachalite Arabię regione, vt à multis per illa loca nauigantibus intellexit. Syagrum promontoriũ hodie vocatur Ras Algate, *idest* Caput Algate, *& Sachalites sinus non adeò incuruatur, vt à Ptol. describitur: atque littus illud à* Ras Algate *ad fretum Persicum recedit versus occasum solstitialem.*

Secundo reprehenditur Marinus à Ptol. quod posuerit Symilla emporiũ, & promontorium occidentalius non solum Maleo promontorio, sed etiã flumine Indo, cum debuerit poni meridionalius. Credo Ptol. velle intelligere Symilla promontorium poni à Marino occidentalius, idest ante Maleum promontorium, & ante Indum fluuiũ, vt si quis ab occidente peragraret iuxta littus versus ortũ, inueniret primo Symilla promontorium, deinde Indum fluuium, postea Maleum promontorium secũdum descriptionẽ Marini. Aliter Marini positio non differet à Ptolemaica, ponit enim & ipse Ptol. Symilla emporium in meridiano occidentaliori quam sit Meridianus Malei promontorij, & quàm sit meridianus Indi fluuij. Sanè differt admodum recẽs descriptio huius partis à Ptolemaica descriptione: nam in recentiorum descriptione post Indi fluuij ostia littus totum vsque ad caput Comorin, *quod est Commaria extrema Ptol. absque insigni incuruatione ad meridiem extẽditur versus Euronotum recto fere itinere. Sed in Ptol. descriptione ab Indi ostijs vsque ad Maleum promontoriũ, & à Maleo promontorio ad Symilla emporium duo magni sinus aperiũtur occasum respicientes; à Symilla verò emporio vsque ad Commaria extrema littus uniuersum ab occasu ad ortum procedit nonnullis admissis sinubus, & Commaria extrema ab Aequatore distant gr. 14. ferè secundum Ptol. quæ secundum recentiores propius ad æquatorem accedunt gr. 7. Porrò Maleum promontorium puto esse hodie è regione insulæ* Bazaim *iuxta quod est* Tanamaibu *vrbs. Symilla vero promontorium videtur esse hodie* Capo de rama *non longè à* Goa.

Siquidem in hoc concordant &c. *Adstipulantur hæc verba designationi modernorum huius orientalis partis potiusquam Ptolemaicæ, scilicet nauigationẽ iuxta littus Indicum fieri ab occasu ad ortum, & contra reflectẽdo tamen ad Septentrionẽ. Quod ait vltra Sinas Sericam regionem iacere, non est intelligendum, Sericam orientaliorem esse Sinis; sed intelligit Ptol. vltra idest magis ad Septentrionem, vt cõstat ex vniuersali ipsius tabula. Serica regio hodie est illa Tartariæ pars, quæ dicitur* Catayo, *vbi supremus Tartarorum rex degit cum deserto* Lop *& vicinis locis. Sericæ metropolis Ptolemæo est Sera, quæ nunc videtur esse* Sindifu. *Est etiam in ea Issedon Serica, quæ quibusdam hodie dicitur* Cambalu, *sed mihi videtur potius esse* Caindu. *Sinarum regionum non esse Chinense regnum putamus, sed potius esse* Tenduc *prouinciam cum aliqua forsan parte* Catay.

Ac quod his orientalior sit terra incognita stagna habens paludosa &c. *Intelligendum est hic de extrema Tartarię parte ad Septentrionẽ expositæ, ac ad Scythicum & Tabin promontoria extensa. Quæ sanè etiam hodie parum cognita est: constat tamen in ea esse* Bargu *regionem paludosam, vt Ptolemæus etiam innuit.*

Via autem, quæ à Sinarum metropoli ad portum est Cattigaræ &c. *In recentibus tabulis contrarium potius cernitur: nam sita est Sinarum metropolis, quæ est hodie* Tenduc *vrbs, ad occasum Cattigaræ inter Fauonium & Africum.*

Porro

Porro & à mercatoribus &c. *Rectè asserit Ptol. nauigationẽ ab Aromata promontorio, hodie* C. Gardafu, *ad Raptã vrbem metropolim Barbariæ hodie* Quiloa. *esse ad occasum & meridiem scilicet inter Africum & Libonotum; ita enim se habet in recentibus tabulis, qui sanè terræ tractus Ptol. Barbaria proprie dicitur & hodie* Adel, Adea, Melinde, *&* Quiloa *regna complectitur. Sed quod transfretatio à Raptis ad Prassum promontorium, hodie* C. Mozanbique, *sit ad ortum & meridiem, non conuenit cum recentibus tabulis, in quibus duo illa loca sita sunt sub eodem meridiano, vnde absoluitur illa nauigatio à Raptis ad Prassum versus meridiem. Reliqua in tex. nihil notatu dignum continent.*

In decimumoctauum caput.

TESTATVR *in huius capitis initio Ptolemæus se nolle omnia Marini errata Geographica recensere, quæ innumera sunt, ne videretur studiosis contentionem potius quàm emendationem suscepisse, præsertim cum singula in descriptione particulari regionum se corrigere profiteatur. Nunc autem in genere accusat eundem Marinum de inepta descriptione orbis tàm in superficie sphærica, quàm in plano, in quarum neutra vllam seruauit operis facilitatem, vt scilicet quis posset ex eius commentarijs absque vllo proposito exemplari seu orbis typo, descriptionem ipsam orbis absoluere, quæ congruum, ac idoneum seruet tàm in longitudine, quàm in latitudine orbis simulachrum. Non enim tutum est descriptionẽ orbis in plano ab exemplaribus transcribere: nam prȩterquã quod laboriosum est mutationi etiam & erroribus obnoxium est, cum difficile valdè sit à priori exemplari etiam rectè descripto posteriora exemplaria traducere, quę ab ipso aliquantisper non differant; vnde postea ex assidua traductione mutationes ac variationes insignes oriuntur. Postremo reprehenditur Marinus ab auctore, quod in suis cõmentarijs longitudines, & latitudines locorũ ordinatè non posuerit, quæ profectò duo necessaria sunt ad collocanda loca debito ordine in tabula: sed vno in volumine latitudines per Climata & parallelos describit, in alio verò longitudines per horaria interualla & meridianos: vnde difficile est ex his tabulam orbis describere, nisi pro vno quoque loco describendo volumina illa euoluantur, cũ alter terminus altero indigeat, atque nisi etiam prius hæ diuersæ radices ad vnam reducantur denominationem.*

In decimumnonum caput.

AFFIRMAT *hic Ptolemęus non solum Geographiam ipsius Marini correxisse, sed etiam eam ita ordinasse, vt facilè ex solis ipsius Ptol. cõmentarijs absque vlla orbis designatione, seu imagine quilibet posset ipsum orbem describere: nã singulis locis adscripsit numeros longitudinis & latitudinis vt scilicet loca ipsa in tabulis & regionum descriptione certius, ac cõmodius disponerentur ad inscribendum seruato tamen congruo ordine, vt scilicet primo in vnaquaque prouincia propria circunscriptio sit absoluenda, seruata cuiuscunque loci longitudine ac latitudine; deinde intra illam imponere oportet populos, vrbes, flumina, sinus, montes, & alia huiusmodi secundum debitam positionem longitudinis & latitudinis, vt in sequentibus libris continetur.*

In vigesimum caput.

DESCRIPTIO terræ habitatæ perfici potest duobus modis: altero quidem in sphęrica superficie, & hic retinet propriè similitudinem terrę: cõstat enim ex elementis sphęricis, mundum hunc terrestrem, seu aggregatum hoc ex terra & aquis sphęricæ esse figurę: Altero verò in plana superficie, qui multiplex est.

Primus modus describendi terrã in superficie sphęrica, seu globo suas & cõmoditates & incommoditates habet. Etenim nisi huiusmodi globus erit conuenientis, ac iustæ magnitudinis, vt supra eius superficiem scribi possint partes omnes ipsius terræ, deinde etiã insulæ, prouinciæ, ac vrbes principales, nullum aut paruum habebit vsum, nisi pro habenda aliquali dispositione partium terrę: sed particuliariũ regionum ac prouinciarũ positiones difficile admittet, & multo minus vrbes pręcipuas intra se capiet, nisi tantum aliquot prestantiores. Alteram incõmoditatem globo tribuit Ptol. quod vnico momento in superficie globi huius cerni non potest totius habitatę terræ descriptio; sed opus est vel aspectum vel sphęram cõuertere. Contra verò plurimas habet vtilitates ac cõmoditates descriptio huiusmodi terræ in sphęra seu globo alicuius notabilis magnitudinis: nam præterque quod similis erit, naturali terræ dispositioni haberi poterunt distantiæ ac dimensiones quorũcunque locorũ: accepta enim circino duorum locorum distantia, & ęquinoctiali terreno, vel alio maximo circulo in partes tre cẽtesimas & sexagesimas diuiso applicata dabit gradus maximi circuli, quibus duo illa loca inter se discrepant. His verò in milliaria conuersis tribuendo scilicet vnicuique gradui quindecim Germanica milliaria, vel 62 Italica cũ dimidio, patefaciunt distantiam itinerariam inter duo illa loca, cui quidem distantiæ addenda est tertia, vel quarta, vel alia pars pro obliquitate & inæqualitate itineris, pro ut magis vel minus continget iter illud obliquari. Pręterea in huiusmodi globo cognosci commodè potest situs cœlestis cuiuscunque loci, hoc est in quo cadat climate, sub quo parallelo, & quot gradibus eleuetur polus alteruter super horizontem illius loci, vnde ex his sciemus, quanta sit maximi diei prolixitas cuiuscunque loci. Quæ omnia dabit circulus meridianus in suas partes rectè diuisus. Cognosci etiã possunt stellæ verticales alicui loco: nam stella verticalis tunc fiet alicui vrbi, quãdo stellæ declinatio ab Aequatore concordauerit cum latitudine vrbis, vt ambo scilicet eandem obtineant ab ęquatore distantiam, ac ad eandem plagam. Pariter etiã sciemus, quænam stellæ exoriãtur, & occidant in aliquo terræ situ: quæ semper supra terrã conspiciantur: & quę perpetuo sub horizonte lateant. Habet & insuper terrestris globus alias insignes vtilitates, quas hic referre non est opus, cum de vsu ipsius extent opuscula Gemmæ Frisii, Ioannis Taisnerij, Ioannis Sconeri, & aliorũ. Edidit verò Duisburgi ęneis typis globos ambos paucis ab hinc annis, cœlestem scilicet & terrestrem elegantissimos & maxima diligentia delineatos insignis Geographus Gerardus Mercator, quorum singulorum diameter tres ferè pedes adæquat: & præter hos habemus vtrũque globum, cuius diameter est ferè sesquipedalis à Iacobo Florentio viro diligenti egregiè incisos & fabrefactos Antuerpię editos, qui etiã sub maiore forma terrestrem tantum separatim edidit. Extat quoque terrestris globus nõ negligendus à doctissimo viro Liuio Sanuto descriptus, & ab eius fratre in ęre incisus, ac Venetijs editus, qui aliquanto maior est Mercatoris globo, licet illi perfectione longè inferior. Præter hos circunferuntur alij globi valdè imperfecti, ac insignibus erroribus non vacantes.

Secunda ratio describendi orbem in superficie plana hoc cõmodi habet, vt ait Ptol. quod cunctas sui partes nostro offert aspectui, & secundum hãc rationẽ multi dantur modi describendi orbem ipsum in plano: nam alij sunt, qui similitudinem aliquã habent, ac cõmensurationem cum sphęrica superficie, quãdo scilicet & meridiani eandem habent habitudinẽ in plano, quã habent in sphæra, siue sint recti, siue curui, & etiã paralleli in plano ad Aequinoctialem eã seruant proportionẽ, quam in sphęra obseruãt. Alij verò sunt modi, in quibus talis commensuratio, & similitudo non attenditur.

His prælibatis ad contextus explicationẽ veniamus. Ptolemæus itaque cũ duplicem habitabilis orbis figurationẽ dari affirmasset, vnam scilicet, quę fit in sphęrica superficie: aliam verò, quæ fit in plana, consequenter Marinũ reprehendit, quod ineptã orbis in plano descriptionẽ in suis commẽtarijs tradiderit, credens se eã exhibere similem & conformem sphęricæ descriptioni. Nam, vt ait Ptol. distantias minimè commensuratas facit substituens pro parallelis & meridianis, qui lineę circulares sunt, rectas lineas, & faciens meridianis parallelos penè æquales. Solum autem parallelum per Rhodum meridiano commensuratum rectè fecit, qui proportionẽ sesquiquartã ad Aequatorem seruat: alios autẽ parallelos minime. Etenim paralleli rectis lineis descripti non sunt ad instar parallelorũ, qui in sphæra scribuntur: nam aspectu cõstituto ad medium Borealis quadrãtis sphærę, in qua maxima orbis pars describitur, hoc est inter polum mundi Boreum, & Aequatorem omnes paralleli lineæ curuæ apparent, quarũ conuexitates ob poli sublimitatẽ versus meridiem conuertuntur. Reprehendit quoque eundẽ Marinum, quod parallelorum sectiones, quæ inter meridianos cadunt, non fecerit in debita proportione cum similibus sectionibus Aequinoctialis; sed eas illis fecerit æquales: similiter quoque distantias climatum, quæ Borealiora sunt, quã sit parallelus per Rhodum, magis, quàm oporteat extendit atque illas quę dicto parallelo australiores sunt in minus contrahit: vnde sequitur stadiorum numero ab ipso assignato talia climata ac parallelos non respondere, vt patet in tex.

Porrò quoniã Ptol. in fine huius cap. tradit, parallelum Rhodiensem, qui gr. 36 ab Aequatore distat, habere ad Aequinoct. eam rationem, quã habet 93 ad 115: atque parallelũ per Thylem, qui recedit ab Aequatore gr. 63 habere ad eundẽ Aequinoct. rationẽ, quam habet 52 ad 115, idcirco hic docebimus modum deprehendendi omniũ parallelorũ rationes ad Aequinoct. simul atque duo hęc exẽpla Ptol. cõprobabimus.



Esto igitur meridianus A B C super D centro descriptus, Aequinoctialis sit A E C, cuius polus sit B. sit verò parallelus F G H, cuius rationem ad Aequinoctialem inuenire oporteat, & paralleli centrum sit I, connectantur autem A D, D B, & F I. Quoniam igitur axis D B transit tàm per centrum D maximi circuli A E C nimirum Aequatoris, quàm per centrum I paralleli F G H, & plano eius insistit ad rectos angulos, ac vtrũque angulo-

angulorum adiacentium F I B, F I D, rectum facit, idcirco ex definitione sinus recti F I recta à centro I paralleli F G H emanans, erit sinus rectus primus arcus F B, qui complementum est arcus cogniti A F, distantię scilicet paralleli ab Aequatore. Cum autem circulorum inter se ratio sit quæ diametrorum aut semidiametrorum, vt diximus in secundo cap. erit proportio integræ circunferentię Aequatoris A E C ad circunferentiam integram paralleli F G H, quæ semidiametri A D, Aequatoris ad semidiametrum F I paralleli: sed A D recta est sinus integer totius quadrantis A B D, & datur perpetuo particularium 100000, igitur F I erit etiã sinus rectus primus arcus F B cogniti, cum sit complementum arcus A F. Sed pro exemplo sit propositum inuenire proportionem paralleli F G H per Thylem ducti ad Aequinoctialem A E C. Cum igitur hic parallelus distet ab Aequatore gr.63, erit arcus A F gr. 63. quare arcus F B eius complementum dabitur gra.27, cuius sinus in tabulis est particularum 45399. Quam igitur rationem habeat totus sinus A D 100000 ad sinum F I 45399, eãdem habet integra circunferentia Aequatoris A E C ad integram circunferentiam paralleli F G H. Vt autem cognoscere possimus, an inter hos circulos detur proportio sicut numeri 52 ad numerum 115, quemadmodum Ptol. supponit agemus in hunc modum. Multiplicabimus 115 in 45399 & productum diuidemus per 100000: nam in quotiente emerget numerus respondens dicto parallelo. Ex ductu itaque numeri 45399 in numerum 115 prouenit 5220885, qui per integrum sinum diuisus, dat in quotiente 52, & paulò plus. Quare rectè assignatur à Ptol. proportio paralleli per Thylem ad Aequinoctialem sicut 52 ad 115. Qua autem ratione assumpserit Ptolemæus hos numeros, videbimus postea infra capite vltimo. Similiter etiam nunc examinemus an vera sit proportio paralleli Rhodiensis ad Aequinoctialem sicut 93 ad 115. Cum igitur talis parallelus ab Aequatore distet gr. 36, erit sinus complementi huius arcus particularum 80902, in quem multiplicato numero 115, emergit numerus 9303730, qui in sinum totum distributus dat 93 pro numero, qui parallelo congruit. Vnde rectè se habet proportio talis paralleli ad Aequinoctialem sicut 93 ad 115. Quare patet ex hoc Vernerum hallucinatum fuisse in annotatione sexta huius capitis, iniusteq; Ptolemæum reprehendisse tanquam non multum exercitatum in exactiore numeratione, vt ipse ait.

Cæterum facillimè hac regula construetur tabula cõtinens proportionem cuiusuis paralleli ad Aequinoctialem, qualium Aequinoctialis assumitur partium 360, & alia etiam tabula, quæ exhibet proportionem vnius gradus paralleli ad vnum gradum Aequatoris. Nam inuento sinu paralleli cuiusuis multiplicabimus eum per gr.360. & productum partiemus per sinum totum, & colligentur integri gradus: rursus reliquum ex diuisione numerum multiplicabimus per 60, & per integrum sinum diuidemus, vt emergant minuta prima, atque tertio etiam residuum numerum iterum per 60 multiplicabimus, ac per integrum diuidemus sinum, vt habeamus secunda. Vt in superiore exemplo pro parallelo Thylensi gr. 63. cuius sinus supra patuit 45399. Si hic sinus multiplicabitur in numerum 360. prodibit numerus 16343640, qui in totum sinum distributus dabit gr. 163. Reliquus numerus per 60 multiplicatus est 2618400, ex quo per integrum sinum diuiso colliguntur 26 scrupula prima, & remanens numerus per 60 iterum multiplicatus, ac per totum sinum

sinum diuisus producit 11 secunda. Quare totus arcus illius paralleli est gra.163. min.26.secund.11. qualium Aequinoctialis est 360.

Præterea si prædictum numerum 45399 multiplicauerimus per 90, & productum diuiserimus per integrum sinum, atque eundem seruauerimus ordinem, vt supra, colligemus numerum graduum quadrantis huius paralleli, qualium quadrans Aequinoctialis est 90. Nam in hac operatione primo cõstatur per multiplicationem numerus 4085910 qui dat gr.40. Ex residuo autem per 60 multiplicato colliguntur 51 minuta, & 33 fere secunda. Quare quadrans huius paralleli Thylensis habet rationem ad Aequinoctialis Quadrantem sicut gra.40. min.51. secund.33. ad gr.90. Quamuis in Verneri tabula scribantur gr.40 min.53.sec.3.

Non dissimili ratione construere poteris tabulam complectentem rationem singulorum graduum parallelorum ad singulos gradus Aequinoctialis, multiplicando scilicet numerum 45399 per 60, & productum diuidendo per integrum sinum: nam colliges primum minuta, deinde secunda & tertia. Vnde pro singulo gradu dicti paralleli competunt hac ratione min.27.sec.14. ter.22. qualium vnus gradus est 60 minuta. Verneri autem tabula habet min.27.sec.15.ter.24.

In vigesimumprimum caput.

HOc in capite recenset auctor modum quendam descriptionis orbis in plano, in quo sane meridiani omnes tanquam rectæ lineæ designantur, & paralleli tanquam circulorum circunferentiæ: ita tamen vt principaliores saltem paralleli, nempe illi, qui per Thylem, & per Rhodum ducuntur, ac etiam Aequinoctiales proportionem debitam inter se habeant, commensurationemque. Verum cum hunc modum planè Ptol. ipse in vltimo capite doceat, idcirco ibi circa eum magis immorabimur.

In vigesimumsecundum caput.

TRADIT hic Ptolemęus modum describendi aptè, ac concinnè in sphærica superficie terrarum orbem, qui satis clarus est. Verum cum Ptolemæi tempore minor orbis pars cognita fuisset, nuncque totus ferè orbis exploratus sit, idcirco recentiorum descriptiones assumere oportet. Primo itaque parato globo ipso conuenientis magnitudinis inueniemus in eo duos pos, traiecto per ipsos axe ferreo, qui iuxta vtrunque polum sphæram ipsam excedat, quibus axis extremitatibus affigemus semicirculum, seu integrum circulum mobilem ex ære, vel alio metallo fabrefactum, qui à polo ad polum in 180 partes æquales partiatur, & vbi semicirculus per æqualia diuiditur, ibi intellige æquinoctialis situm, à quo ex vtraque parte versus polos numerabis gr.90 singulis scilicet quinque vel decem gradibus numeros signando. Postea hoc mediante circulo describes primum in globo Aequinoctialem circulum per æquidistantiam ab vtroque polo, quem in 360 æquales partes distribues, & singulis quinque vel decem gradibus numeros notabis progrediendo ab occasu versus ortum, & vbi initium talis computationis posueris, ibi intellige transire primum meridianum, qui ducitur per insulas Canarias,

Canarias, deinde semicirculus, vel circulus ille mobilis transferatur super diuisiones graduum Aequatoris, quæ singulos quinos gradus, vel denos distinguunt, & trahuntur lineæ, à polo ad polum iuxta latus semicirculi, vt habeas in ipso globo meridianos singulis quinque, vel decem gradibus designatos. Primus autem horum meridianorum distribuatur in 360 partes ęquales more solito, quæ respondeant diuisioni circuli mobilis, facto numerationis initio ab Aequinoctiali. Per singulos autem quinos aut denos gradus meridiani singulis parallelos mediante circulo, seu semicirculo mobili, qui quidem latitudinibus locorum respondebunt. His punctis facillimè loca in globi superficie imponentur, si eorum notam habueris longitudinem, ac latitudinem: nam accommodato semicirculo super gradum longitudinis in Aequinoctiali, quam locus inscribendus obtinet, & numerata latitudine in eodem semicirculo, signationem ibi faciemus in globo, & tunc quidem talis locus in debito erit situ tam respectu longitudinis, quàm respectu latitudinis.

In vigesimumtertium caput.

Habet in hoc capite Ptol. præter meridianos etiam parallelos in sphęra inscribendos esse, & eos suo sæculo definit qui sanè paralleli secundum latitudinem complectuntur gr. 79 cum dimidio ferè: nam vltimus parallelus Borealis habet polarem eleuationem gra. 63, duciturque per Thylem, & vltimus parallelus Australis habet eleuationem gr. 16. min. 25. ab Austro distatque ab Aequinoctiali versus Austrum, quantum parallelus per Meroem recedit ab Aequinoctiali versus Boream. Meridianos porrò in dimidia sphæra tantum notat, vt duodecim tantum horaria spatia complectantur, attribuendo quindecim gradus Aequatoris per quem circulum meridiani ducuntur, vnam horam. Verumtamen quoniam nostro æuo vniuersus ferè mundus innotuit, ac totus circumnauigatus fuit, cuius longitudinem dilatabimus, vt totum comprehendat terræ circuitum, nimirum gr. 360, & horaria spatia 24. Præterea etiam plures assumendi erunt paralleli tàm versus meridiem, quàm versus Boream. Nam Septentrionem versus supra Thylem insulę plures ac terrę partes cognitæ sunt & perlustratę. Sic etiam meridiem versus tota Africa circumnauigata fuit, cuius extremum, quod dicitur Bonæ spei caput, vltra Aequatorem producitur gr. 36. Patefactus quoque fuit nouus orbis, qui dimidium ferè sphæræ secundum longitudinem complectitur, & in latitudinem ad Austrum extenditur ad gr. vsque 56 ab Aequinoctiali, & ad Boream terminos habet incognitos, vbi ad gradus vsque 70 lustratus fuit. Ad hæc continens etiam Australis detecta fuit, vnde multo maior numerus, quam Ptolemæus posuerit, parallelorum in vtramque mundi plagam notandus est. Extat autem in permultis voluminibus climatum & parallelorum tabula secundum recentiores Geographos supputata, quæ exhibet in toto hemisphario Boreali climata 46, & parallelos 96. Et in ea quidem primum clima variationem habet ab Aequatore vnius horę in longissima æstatis die, quæ autem sequuntur vsque ad vigesimumsecundum differunt dimidia hora: reliqua verò climata vltra hęc per singulos gradus eleuationis polaris incedunt. Sed paralleli differunt semper inter se quadrantis horæ spatio vsque ad quadragintanonum parallelum, vltra quem paralleli reliqui variantur

riantur singulis dimidijs gradibus ad finem vsque quadrantis. Climata similiter, & paralleli Australes eodem ordine ab Aequatore ad Australem polum procedunt. Cæterum climata hęc & paralleli cõmodiorem vsum habebunt, si in meridiano sphęræ externo designabuntur cum horis maximi diei illis correspondentibus: nam circunducto globo, vt locus quilibet sub dicto meridiano feratur, innotescet confestim, sub quo parallelo ipse locus ceciderit, ac sub quo climate, pariter quoque quanta fuerit diei prolixitas illo in loco non ignorabitur.

In vigesimiquarti & vltimi capitis priorem partem.

In descriptione verò, quæ in tabula fit &c. Tradit duplicem Ptolemæus in hoc capite orbis in plano descriptionem, quarum prior pendet ex aspectu sphęræ motæ, seu circumuolutæ, in qua quidem meridiani describuntur tamquam lineæ rectæ iuxta visam apparentiam sphęrę reuolutæ, & paralleli circunferentię sunt. Altera verò delineatur ex intuitu sphęræ quiescentis, in qua quidem meridiani, ac paralleli curui fiunt. Prior descriptio satis clarè à Ptol. traditur in prima hac huius capitis parte, vt non sit opus eam denuo repetere: solum autẽ circa eam ostendemus, cur Ptolemæus sumpsit proportionem Aequinoctialis ad parallelum per Thylem sicut 115 ad 52. Quoniam igitur supra in cap. 20 adinuenta fuit proportio Aequinoctialis ad dictũ parallelum sicut 100000 ad 45399, erit ratio semidiametri Aequatoris G S, ad semidiametrum paralleli Thylensis G P, sicut sinus totus 100000 ad sinum 45399, quare diuidendo P S ad G P erit sicut 54601 ad 45399: nam P S differentia vtriusque semidiametri, idest, vtriusque sinus est 54601, & componendo P S ad G S erit sicut 54601. ad 100000. Sed quoniam recta G S pro meridiano assumitur, & O P Q est parallelus per Thylem, igitur P S erit distãtia dicti paralleli ab Aequatore R S T gr. 63: & quia P S ad G S, vt supra patuit, est sicut 54601 ad 100000, si ponatur P S partium 63, erit S G per auream regulam par 115 (ex ductu enim partium 63 per sinum integrum prouenit numerus 6300000, qui per numerum 54601 diuisus dat in quotiente 115) deinde cum G S ad G P sit sicut 45399, qualium G S erit 115, talium G P dabitur 52. Quod demonstrare oportuit. Quamobrem patet, Vernerum longa demonstratione & ratiocinatione vsum falsò Ptolemæum reprehendere, dum vult dictam proportionem Aequatoris ad parallelum per Thylem non colligi ex suppositis à Ptolemæo sicut 115 ad 52, sed sicut 113 ad 50. Et hęc circa hunc modum sufficiant, præsertim cum pro hodierna orbis descriptione nullum habeat vsum.

In posteriorem huius vltimi capitis partem.

Porrò similiorem etiam, & magis commensuratam &c. Docet Ptol. in postrema hac huius capitis parte alteram orbis in plano descriptionem ex inspectione sphęræ quiescentis ortam, quę sanè sphęricæ figurationi longè similior est, quam altera supra tradita. In hac etenim lineę meridianę formantur iuxta apparentiam linearum meridianarum, quę in sphęrica scribuntur superficie. Ad hanc autem apparentiam efficiendam, seu pro absoluen-

da hac sphæræ in plano proiectione, oportet primum sphæram ipsam accipere immo tam, ac quiescentem, in qua intelligemus meridianum per eius medium ductum, qui totam terrę cognitę longitudinem per ęqualia diuidat: præterea etiam alium intelligemus circulum parallelum per medium totius latitudinis partis cognitæ ductum, qui bifariam scilicet totam secet terrę cognitę latitudinem; talis inquam parallelus erit ille, qui per Syenem ducitur, nam is mediũ ferè tenet locum inter Borealissimum parallelum per Thylem ductum, qui distat ab Aequatore in Boream gr.63, & inter Australissimum antiparallelum per Meroem, qui ducitur per Prassum promontorium, ac Agyssimbam regionem, distatque ab Aequatore in Austrum gra.16. min.25. Duo hi circuli, nempe meridianus, qui longitudinem terræ per medium scindit, & parallelus, qui terræ latitudinem in duo ęqua diuidit, intersecant sese mutuo: intelligamus iam ab hoc intersecationis puncto ad centrum sphæræ rectam duci lineã, inquam noster constituatur aspectus, ita vt oculus ipse huius descriptionis extremas atque sibi vicissim oppositas partes ex æqualibus interuallis complectatur, & aspiciat. Ex hac itaque inspectione sequetur tam Aequinoctialem ipsum, quàm paralleles esse versus meridiem inclinatos. Quod vt magis conspicuum fiat, si sphæra ipsa A B C D, in qua meridianus iam dictus sit A E C, qui intersecet parallelum per Syenem ductum H E I in puncto E. Per quod intersectionis punctum, & per centrum sphęræ G sit ducta recta linea Q E G, secundum quam constituatur aspectus. Sit pręterea Aequinoctialis B F D descriptus per punctum F, quod à parallelo H E I distat gr.23. min.50. vt Ptolemęus ponit. Sit deinde parallelus per Thylem K M L, & parallelus per Prassum promõtorium N O P. His adiungatur alius circulus maximus ductus per pũctum E intersecationis meridiani A E C, & paralleli H E I, qui profecto circulus



punctum G pro cẽtro habebit per sextam primi Sphęricorum Theodosii, & eius planũ coincidet cũ plano visus iuxta lineam Q E G. Cum verò is circulus B E D, ac Aequinoctialis B F D maximi sint circuli ex hypothesi, sese mutuo bifariam secabunt in punctis B, & D per vndecimam primi sphæricorum Theodosij, quę quidem puncta quadrãte circuli à puncto intersecationis E distant, atque punctũ maximæ declinationis erit F in circulo meridiano, quod sanè punctum magis ad Austrum verget aspectu constituto in plano circuli B E D, ac in recta linea Q E G. Quamobrẽ Aequinoctialis ipse conuexitatem suam in Austrum ostendet. Hoc idem de alijs quoque parallelis ostendetur, & primo quidem de parallelo Australiore N O P. Cum igitur is parallelus meridianum intersecet in O, signo, simulque alium circulum maximũ A B C D in punctis N, & P, idcirco vtumquodque segmentorum B N, D P æquale erit segmẽto F O. Quapropter punctum O à puncto E circuli B E D recedet magis quã punctum N à puncto B, & quàm pũctum P à puncto D eiusdemmet circuli

circuli B E D, in cuius plano aspectus constituitur: vnde huiusmodi parallelus in Austrum quoq; sua cõuexitate verget. Sumatur pręterea alius parallelus H E I per E punctum descriptus. Cũ igitur punctum E cõmune sit parallelo H E I, & circulo B E D, atqui cũ duo puncta H & I dicti paralleli Septẽtrionaliora sint duobus punctis B & D circuli B E D, igitur circulus H E I, aspectu vt supra in plano circuli B E D collocato, inclinatus videatur; ita quidem vt pũctum E magis ad Austrũ nutet, & tota paralleli conuexitas ibidem etiã flectatur. Postremo hoc idem apparet de alio parallelo Australissimo K M L: Nam cũ æquales sint arcus K H, L I, M E, erit arcus M E minor tam arcu K B, quã arcu L D. Quamobrem puncta K & L dicti paralleli magis in septentrionẽ recedunt à circulo B E D, quàm punctum M eiusdem paralleli, & proinde paralleli quoque K M L conuexitas ad austrũ conuertitur.

Cæterum hæc ex materiali sphęra oculariter patẽt: assumpta enim in manibus ipsa sphęra, sumemus pro meridiano A E C dictæ figurationis colurum solstitiorum, & pro parallelo H E I tropicum cancri, qui duo circuli intersecant sese in cancri initio, quod sanè punctum pro puncto E superioris figurationis accipietur; æquinoctialis porrò in sphæra erit idem cũ ęquinoctiali B F D, tropicus capricorni repræsentabit parallelum N O P, atque circulus arcticus referet parallelum K M L, licet hi duo paralleli eandem non obtineãt ab æquatore distantiam, quam supposuimus, quod profecto parum aut nihil refert. Flectatur autem sphæra, vt punctum initij cancri secundum visum vniatur cum centro sphęrę, nam protinus apparebit omnium prædictorum sphęræ circulorum conuexitates ad meridiem flectere: quinetiam Zodiacus ipse vicem exhibebit circuli B E D, in cuius plano visus constituitur.

Intelligantur itaque A E F C, & B E D rectæ &c. Nunc Ptol. ex alia figuratione inuestigat ac demonstrat distantiam communis centri, su per quo omnes paralleli ex tali inspectione sphęrę orti delineãdi sint in plano. Et primo quidem iubet accipiendas esse pro meridiano A E C, & pro circulo B E D primæ figurationis duas rectas lineas in hac subiecta figura orthogonales, & sanè non sine ratione; quoniam in tali sphęræ inspectione dicti duo circuli tanquam rectę lineæ apparent ex vigesima secunda Perspectiuæ Euclidis. Sit itaque recta linea A E C pro meridiano, vt diximus, & recta B E D sit pro circulo B E D primæ figuræ, in cuius plano diximus visum constitui, qui duo circuli intersecãt se ad rectos angulos in



centro E. Sit autem recta A E referens quadrantem circuli, quæ intelligatur partium 90, & in quadrante E C sumatur portio E F partium 13 min. 50, qua-

lium B E est 90. Producatur autem recta A C extra circulum A B C D, atque per tria puncta B, F, D, describatur arcus Aequinoctialis B F D, quod quidem fiet per quintam quarti Elementorum Euclidis, si intelligemus illa tria puncta rectis lineis esse iuncta, vt triangulum efficiant. Huius arcus Aequinoctialis centrum erit in recta C E A producta ad partem A ex corollario primæ tertij elementorum Euclidis: quoniam ipsa recta A E C intersecat rectam B E D bifariam ad rectos angulos. Sit itaque centrum G punctum, cuius quidem distantiam ab F puncto inuenire oportet, idest quanta sit recta G F, quæ est semidiameter æquatoris, in partibus scilicet, qualium B E assumitur 90. Iungatur B F recta, quæ bifariam diuidatur in H, & ducatur recta G H, quę perpẽdicularis erit ad ipsam ex tertia tertij Elem. Euclidis.

Quoniam igitur in triangulo B E F rectangulo dantur duo latera circa rectum, nimirum B E partium 90, & E F partium 23 min. 50, dabitur tertium latus B F & angulus B F E vel secundum Ptolemaicam methodum per subtentas in Almaiesto traditam, intelligendo nimirum triangulo B E F circulum circunscribi, & accipiendo circuli diametrum, quod est semper latus rectum subtendens, pro subtensa maxima partium 120: atque etiam accipiendo angulorum in triangulo quãtitatem, qualium duo recti sunt 360. Vel etiam habebitur illud latus B F per sinus secũdum recentiorem, magisque expeditiorem triangulorum calculum, supponendo angulorum quantitatem pro ut duo recti sunt gr. 180.

Ptolemæi igitur calculum absoluemus in hunc modum iuxta praxim nostræ tabulæ Tetragonicæ. Resoluemus vtrumque numerum in minuta, & primo quidem 90 gra. conficiunt 5400 minuta, cuius quadratũ datur in nostra tabula 29160000 lateris scilicet B E: deinde gr. 23 & min. 50 rediguntur in minuta 1430, cuius quadratum est in eadem tabula 2044900. Duo hęc quadrata simul iuncta exhibent quadratum lateris B F 31 204900 ex penult. primi Elem. Euclidis, cuius radix colligitur ex nostra tabula 5586, quæ per 60 diuisa, reddunt gra. 93 cum min. 6. Vnde rectè Ptol. ait, dari latus B F par. 93 cum decima.

Pro inuentione vero anguli B F E sic agemus. Qualium partiũ datur B F 120, vt diameter circuli triangulo B E F circunscripti, talium dabitur B E. Vnde per canonem subtẽsarum vel sinuum, arcus dictæ subtensæ B E talium dabitur, qualium tota circuli circunferentia est gra. 360, & proinde angulus B F E totidem numero partium innotescet, qualium duo recti sunt 360. Vt igitur se habent gra. 93 cum min. 6 ad subtensam maximam gr. 120, ita se habent gr. 90 ad subtensam gr. 116. Ingressus itaque Ptol. canonem subtensarum cum subtensa gr. 116 angulus quęsitus B F E grad. 150 min. 20.

Ad inquisitionem verò lateris G F accipit Ptol. triangulum G H F rectangulum, in quo quidem ex superiore ratiocinatione innotuit latus H F partium 46 min. 33. scilicet vt dimidium rectæ B F, quę supra patuit par. 93 min. 6. deinde etiam cognitus fuit angulus H F G gra. 150 min. 20, qualium duo recti sunt 360, & proinde reliquus H F G est gr. 29 min. 40. Quo circa cum angulus H G F datus sit gr. 29. min. 40. qualium duo recti sunt 360. dabitur subtensa arcus, cui ille angulus vt in circunferentia subsistit, per canonem subtensarũ Ptol. gr. 30. min. 43. qualium datur subtensa maxima G F gra. 120, quæ diameter est circuli triangulo G H F circunscripti. Ergo qualium H F datur partium 46 min. 33. idest minutorum

torum 2793, talium G F datur minutorũ 10911, quæ faciũt partes 181 min. 51. Qui calculus rectè cum Ptolemęi computatione consentit. Vnde patet Ioannem Vernerum erraße in examinandis his Ptol. calculis, cum colligat rectam B F esse partium 93 cum tribus quintis, hoc est cum minutis 36, ex quo vult sequi, angulum B F E seu H F G reperiri graduum 148 min. 6.

Sed nunc pro faciliori intelligentia inueniamus prædictam rectam G F secundum doctrinam triangulorum Planorum à nobis traditam. Assumpto igitur primum triangulo B E F, quoniam in eo dantur duo latera circa rectum, vt B E partiũ 90, & F E par. 23. min. 50. dabitur tertium latus vt supra par. 93. & min. 6. per primum casum decimęquartæ prop. nostrorum planorum triangulorum, vt etiam supra. Et pro angulo B F E agemus sic. Cum sit proportio lateris B F ad latus B E, quæ est sinus anguli B E F recti, idest integri sinus 100000, ad sinum anguli B F E per decimam nostrorum triangulorum, sintque tria in proportione cognita, nempe duo latera B F partium 93 mi. 6. & B E par. 90. & sinus integer anguli B E F inuenietur quartus numerus, qui erit sinus anguli B F E, nempe 96670, ex quo prodibit angulus B F E gr. 75 min. 10. Sumpto præterea triangulo G H F, datur quidẽ in eo angulus H F G gr. 75 mi. 10. & proinde reliquus H G F gr. 14 min. 50. Itaque quam rationem habet sinus anguli H G F, nempe 25600 ad sinum ang. F H G integrum 100000, eam habet latus H F par. 46 min. 33. idest minutorum 2793 ad latus G F minutorum 10910, quæ restituunt gr. 181 min. 50. Vt etiam supra in Ptol. calculo patuit.

His præmissis accipiatur tabula &c. *Nunc modum tradit, ex quo huiusmodi descriptio in plano accommodari valeat. In tabula aliqua describe quadrangulum rectangulum A B C D, cuius longitudo dupla sit latitudinis, hoc verò quadrangulum in duo ęqualia quadrata diuide per lineam E F, cui lineæ aliam ęqualem lineam extra quadrangulum sume, eamque in 90 ęquales partes diuide, quę quidem erit scala latitudinis tuæ descriptionis. lineam deinde E F in continuum & directum extra quadrangulum extende vsque ad L, vt K L contineat partes 91 min. 50, atque tota linea F E L sit partium 181 & min. 50, & tunc cõstabit punctum L centrum esse omnium parallelorum. Facto autem primum in L centro ad interuallum L F describe circunferentium M F A, quæ parallelum oppositum per Meroem repræsentabit. A puncto autem F in lineam F E versus E numera partes 16 min. 25, & ad terminum huius numerationis fac G literam, & centro in L, interuallo autem L G describe circumferentiam, quæ Aequinoctialem refert: nam ab eo meridiem versus recedit parallelus oppositus per Meroem gr. 16. min. 25. Rursus ab Aequinoctiali, seu à puncto G sume partes 23 min. 50. & centro in L ad finem talis numerationis H describe circunferentiam O H P pro tropico cancri, & parallelo per Syenem. Simili modo numera partes 63 ab Aequinoctiali ad punctum K, per quod describatur eodem centro in L circunferentia Q K R pro parallelo per Thylem, & sic habebis pręcipuos parallelos in tali sphærę proiectione, & delineatione.*

Vt autem longitudo quoque commensurata sit latitudini, &c. *Modo meridianorum descriptionem absoluere oportet, atque longitudinem talis descriptionis latitudini commensuratam facere. Cum igitur tota terræ longitudo cognita supponatur gra. 180 secundum Ptolęm. constituendi sunt secundum talem longitudinem*

nem 36 meridiani singulis quinis gradibus Aequatoris ducti, qui tertia horę parte inter se differant, scilicet 18 in medietate A E F C, & 18 in medietate E B D F. Hi autem meridiani non vno & eodem centro describuntur, quemadmodum paralleli, sed quilibet suum habet centrum, & quilibet per tria puncta incedit; quæ puncta inuenienda sunt in parallelis extremis scilicet in Borealiori parallelo per Thylem, & in Australiori qui est oppositus per Meroem, atque etiam in parallelo medio per Syenem. Quamobrem cum Thylensis parallelus eam habeat ad Aequatorem proportionem, quam 9 ad 20, idest quam partes 2 cum quarta ad partes quinque vt ponit Ptolemęus, si circino acceperimus in scala seu linea E F diuisa partes 2 cũ quarta, illæ respondebunt partibus quinque, quibus quilibet meridianus in vtramque partem distat ab Aequatore in dicto parallelo Thylensi. Sed commodius forsan erit duos accipere arcus in parallelo Thylensi vtrinque à puncto K, quorum singulus partes contineat 40 cum min. 53, qualium E F habet 90; nam quadrans paralleli Thylensis eam habet proportionem ad quadrantem Aequinoctialis, quam gr. 40 cum mi. 53. ad gr. 90. postmodum, vtrumque horum arcuum in 18 æquales partes partiemus, vt habeamus puncta singula, per quę meridiani memorati transire debent. Similiter cum parallelus per Syenem ad Aequatorem habeat rationem sicut partes 4 cum min. 35 ad partes 5. idest sicut 60 ad 55: si acceperimus partes 4 min. 35 in linea E F, eæ quidem dabunt partes quinque in parallelo per Syenem, quibus quilibet duo meridiani inter se distant in eodem parallelo. Aut accipiemus duos arcus T H, H Y dicti paralleli hinc inde à puncto H, quorum quilibet partes 82 cum tertia contineat, earundemmet partium lineæ E F: Nam quadrans Aequatoris ad quadrantem dicti paralleli se habet sicut 90 ad 82 cum tertia, quos quidem arcus singulos in 18 partes, vt supra diuidemus. Pari modo pro parallelo opposito per Meroem sumemus partes 4 min. 50 in linea E F, quę dabunt in dicto parallelo interstitia meridianorum singulis quinque gradibus incedentium. Vel si lubet, duos sumemus arcus vtrinque à puncto F, nempe S F, & F X, quorum quilibet contineat partes 86 cum tertia qualium E F continet 90, si quidem talis datur proportio quadrantis huius paralleli ad Aequinoctialis quadrantem, & hos quidem arcus, vt supra, in par 18 secabimus.

Postremo determinatis punctis in his tribus parallelis, per quæ incedere debeãt meridianorum circunferentię, inuenies pro singulis tribus punctis centrum, super quo circini pede firmato circunferentia valeat per ipsa describi, & sic continuo facies vsque ad vltimos meridianos S T V, X Y Z, qui totam terræ habitatæ longitudinem determinant. Poterunt in hac quoque figuratione describi omnes paralleli eodem prorsus ordine atque etiam meridiani delebiles, qui incedant per vnumquemque gradum, quo facilior fiat impositio locorum in ea. Quinetiam poterimus hanc descriptionem versus Austrum extendere vsque ad parallelum distantem ab Aequatore gr. 36 & etiam vltra, vt tota Africa secundum recentiorum descriptionem in tali figuratione cadere possit, atque etiam ad Boream quantumlibet extendetur, vt integras tres orbis antiqui partes, Europam, Asiam, & Africam comprehendat. Verumtamen pro nouo orbe describendo consimilem figurationem eadem arte repetere poterimus: nam is quoque nouus orbis dimidium sphæræ quasi in longitudinem occupat: sic namque vniuersus orbis in duabus mappis commodè

habebitur.

habebitur. Non ignoro tamen alia ratione posse vniuersum ipsum orbem describi, & commodiore forsan, cuius typum nobis exhibuit Rumoldus Mercator in duobus hęmisphęriis secundum proiectionem sphærę in plano, quam Gemma Frisius in suo Astrolabio Catholico tradidit, cuius Theoria egregiè explicatur ac demonstratur à doctissimo pariter ac nobilissimo viro Guido Vbaldo è marchionibus Montis. Et hanc quidem orbis descriptionem complexi sumus in ęreo quodam Astrolabio conuenientis magnitudinis, quod præterito anno fieri curauimus, nõ tam ornatus, quàm commoditatis causa, si quidem magnum habet vsum in ipso Astrolabio pro negocio Geographico.

Quod verò talis descriptio sphæricę formæ similior sit, &c. Comparat nunc planam hanc orbis descriptionem cum altera superiore, in qua meridiani rectę sunt lineæ, & concludit, hanc esse illa longè perfectiorem quantum ad similitudinem cum sphæra ipsa, & quantum ad commensurationem debitam attinet, quàm paralleli tum inter se tum respectu Aequinoctialis obseruant. quod altera sanè descriptio omnifariam non præstat: nec non etiam quantum ad proportionem latitudinis cum longitudine, quę non super vno tantum Rhodiensi parallelo obseruatur, sicut in prior descriptione; sed super alijs omnibus parallelis, vt constat in tex. Hoc tamen verum est, priorem descriptionem esse longè hac commodiorem & expeditiorem pro imponendis locis in ea. Quamobrem ob hac causam à Ptol. prior via non negligitur. Sed potius eam huic adiungere voluit.

FINIS.

INDEX CAPITVM
QVAE IN PRIMO LIBRO
PTOLEMAEI CONTINENTVR.

INDEX REGIONVM,

OMNIVM INSVLARVM,

POPVLORVM, MONTIVM, SYLVARVM, SOLITVDINVM, FLVVIORVM, SINVVM, CIVITATVM, OPPIDORVM,

Cæterarumq; rerum memorabilium, quæ in omnibus Ptolemæi Libris, præter primum continentur.

Literæ vero col. indicant. a, primam, b, secundam.

adis-

aly-

apha-

ar-

athe-

B

bam-

billa

C

B ca-

car-

cli-

crom-

D

del-

E

ebu-

F

foſſæ

G

C gu-

idu-

Ioni-

M

ma-

me-

N

na-

ny-

O

D ot-

P.

pe-

pu-

Q

R

S

ſu-

far-

ſæ-

ſua-

T

E tar-

thia-

V

X

Z

FINIS.


DONA AUFOECUNDANT